EDVARDI CORSINII

CL. REG. SCHOLAR. PIARVM

IN PISANA ACADEMIA

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

DISSERTATIONES

QVIBVS

ANTIQVA QVAEDAM INSIGNIA

MONVMENTA INLVSTRANTVR

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CRATERE AHENEO
MITHRIDATIS
PONTI REGIS
DISSERTATIO I.

AD VIRVM CLARISSIMVM

FRANCISCVM VICTORIVM

SACRI MILIT. ORDINIS D. STEPHANI

PP. ET MARTYRIS

EQVITEM COMMENDATARIVM

I. QVum plurima, atque infinita fere decora Romanae Vrbi tum ex imperii amplitudine, tum ex victricibus Romanorum armis acceſſerint, ut augusta illa Romani imperii ſedes, FRANCISCE VICTORI EQVES COMMENDATOR CLARISSIME, veluti commune quoddam Gentium omnium domicilium videretur; illud etiam ornamenti genus Romanis ipſis accedere profecto debuit, ut quidquid uſpiam Gentium decorum, ſplendidum, elegans, pretioſum haberetur, id ſuis e ſedibus ereptum publicis privatiſque Romanorum Aedibus ornandis transferretur. Etenim, ut rapaces illos Romanorum Quae-

 ſto-

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ſtores praeteream, qui piratarum inſtar Provincias, atque Vrbes, quas regendas ſuſceperant, ſignis, donariis, tabulis, omnique monumentorum decore ſpoliarunt; Caeſares ipſi ac Imperatores, qui Provincias ſubegerant, ubi ſolemni ritu triumphum ducerent, ut victoriae fructus, praedae magnitudinem, ſubactae gentis opes, & gloriam oſtentarent, quidquid in omni artis, ac opificii genere illuſtre, atque elaboratum apud illos inventum, direptumque fuerat, Romam advehere, civiumque oculis exhibere conſueverant; illudque in Templis, aut publicis aliis, privatiſque Aedibus collocare gloriabantur. Itaque mirari plane non poſſumus, ſi in exteris quidem Provinciis ea veterum Monumentorum genera ſubinde occurrant, quae ἐπιχώρια, hoc eſt Gentium illarum propria, atque in iis Vrbibus effiсta fuerant: Romae vero, aliiſque in locis aeternae huic Vrbi finitimis, ea quoque ſaepius ex terra effodiantur, publiceque demum Eruditorum oculis offerantur, quae ab exteris iampridem, remotiſque Provinciis advecta inevitabili quodam rerum humanarum fato diu iacere, tandemque in apricum iterum proferri debuerunt. Eiuſmodi certe exterarum Gentium manubiis, victoriaeque a Romanis partae Monimentis accenſeri merito poterit Crater ille, ſeu Lebes, qui inter alia eruditae Antiquitatis monumenta, quae paucis ab hinc annis in Antii portu in lucem eruta ſunt, a foſſoribus inventum fuit, quod Romam deinde translatum, Benedicti XIV. munificentia in Muſeum Capitolinum illatum conſpicitur. Etenim potentiſſimo, vaferrimoque Regi, qui plurium annorum ſpatio Romanos praelio, inſidiis, invictique animi robore fatigavit, mortem quidem ſibi

Digitized by Google

ſibi conſciſcere, adeoque triumphi dedecus vitare licuit; ſed efficere is tamen non potuit, ne ipſius gaza, quae aureis vaſis, atque incredibili opum copia referta Talauris inventa fuerat, a Lucullo, Pompeio, ceteriſque Romanorum Ducibus diriperetur; adeoque aereus etiam hic Lebes, veluti inſigne victoriae monumentum, ad haec uſque tempora perennaret. Primam Lebetis, aut eximii Monumenti huius mentionem fecit, ſimulque accuratiſſimam ipſius imaginem ex exemplo, quod Romae acceperat, vulgavit Pocokius in Opere, vel Itinerario, quod Anglice inſcripſit: *Obſervations from Naples to Florance*, *Obſervationes Neapoli Florentiam uſque* Parte II. cap. 5. pag. 207. his verbis „ *Among the antiquities of the Capitol there is a bronze Vaſe, lateil found in the port of Antium, vvhich is engraved in the ninety ſecond plate, from a dravving ſent by Abbot Revillas: There is an inſcription round the inſide of the Vaſe, vvhich vvas traced of, as it is engraved on it, and ſhevvs exactly the circumference of the vaſe*. Recentior alia Crateris huius imago aeri eleganter inciſa Romae nuper edita fuit; ſed ita tamen ut in exprimenda quorumdam characterum forma, & in vocum ordine pictor aberraverit; nihilque proinde praeſidii in legenda explicandaque epigraphe haberi inde poſſit. Itaque, ut de vera characterum forma, ſimulque inſcriptionis ſenſu iudicium feratur, epigraphem ipſam, iuxta nativum Pocokii exemplar, accuratiſſime exprimendam curavi: in quo voces, quae continuo ductu interiori Crateris circulo, vel faſciae inſcriptae fuerant, unicumque verſum efficiunt, tres veluti in partes ita diſtinctae ſunt, ut partium tamen ductus, vocum or-

ordo, atque integra circularis epigraphes forma facile intelligatur. Nec aliam certe, quam accuratam hanc epigraphes formam, vocum ordinem, ſitum, diſtantiam oculis animoque ſubiectam volui, ubi Crateris huius inſcriptionem exponendam ſuſcepi.

II. Atque, ut ab ipſo *Mithridatis* nomine exordiar, quod in aereo hoc Vaſe exaratum conſpicitur, quamvis communi iam receptoque more cum a Latinis, tum a Graecis etiam Scriptoribus non alio, quam *Mithridatis*, nomine appellari conſueverit; hic tamen, & in pleriſque monimentis aliis *Mithradates* vocatur. Sic in Deliacis etiam Inſcriptionibus, opportune mox proferendis, *Mithradates* occurrit; ſic in pluribus tum Evergetae patris, tum Eupatoris filii Nummis apud Vaillantium (1), & Geſnerum (2) uterque *Mithradates* appellatur; quamvis alicubi in Nummis aliis apud Spanhemium (3), & Begerum (4), niſi ſcalptor aut pictor Nummos illos exſcribens erraverit, *Mithridates* habeatur. Quandoquidem vero poſt *Mithridatem*, qui paullo poſt Alexandri Macedonis mortem Ponti regnum conſtituit; adeoque ab Appiano *Mithridates primus* (5), a Luciano, & Strabone (6) Κτίϛης *fundator* vocatur, Ariobarzanes, tum Mithridates alius, mox Pharnaces, deinde Mithridates ille, qui *Evergetes* dictus eſt, in Ponto imperarunt, Mithridates ultimus, qui Evergeti patri adhuc puer ſucceſſit, *Eupatoris* nomine deſignatur, quo a patre, ceteriſque cognominibus diſtinguatur. Eiuſmodi *Eupatoris* nomen,

(1) Hiſtor. Reg. Pontic. (2) Numiſm. Reg. Pontic. (3) Pag. 482. (4) Lib. III. c. 8. (5) Mithridat. pag. 249 (6) Lib. XII. pag. 562.

men, ac titulus perſpicue in Vaſis epigraphe legitur ΕΥΠΑΤΩΡ; ubi tamen inſueta, hoc eſt prava & imperfecta characteris T forma obſervar poterit, quae ſcalptoris certe vitio adſcribi debet. Eidem prorſus ſcalptoris oſcitantiae inſolens etiam illa characteris alterius Ͱ forma adſcribenda foret, niſi eadem fere in Monimentis etiam aliis occurreret; ut in Coſmiae Epitaphio (1), quod Auguſtorum aetate poſitum exiſtimatur, in quo eadem ipſa facie character hic exhibetur (2). Vera tamen & accurata Graecarum literarum forma iis temporibus uſitata ex aerei Crateris huius imagine, aut inſcriptione deduci non poterit; quum ipſarum plures inconcinne depravateque non ſcalptro, ſed graphio exaratae videantur; ut in voce ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ, characteres Γ, Υ, Μ, Ν, Σ a conſueta accurataque facie mire deflectunt: quemadmodum prorſus in Heracleenſi Lamina, quam Cl. Maffeius (3) accuratiſſime expreſſit, nova quaedam atque inſolens quarumdam literarum forma conſpicitur. Illud tamen in eximio hoc Monimento obſervari plurimum debet, quod character Ω eadem prorſus forma exhibetur, qua minuſculo literarum genere exprimi ita ſolet ω; quemadmodum etiam character E rotunda forma expreſſus, tranſverſaque lineola ita Є diſſectus conſpicitur. Ac prioris quidem literae formam ω in Marmoribus, ac Nummis paſſim ab imperio Auguſti reperiri Placentinus (4) admonuit. Sed hoc aereum Mithridatis donarium perſpicue oſtendit hanc ipſam eius characteris formam ante Caeſarum tempora uſurpatam fuiſſe; quemadmodum certe frequentius illa, Imperio iam conſtituto, in

A 4 Num-

(1) Monfaucon. Palaeogr. pag. 170. (2) Placent. pag. 19. & 103.
(3) Muſ. Veron. pag. 434. (4) Palaeogr. pag. 22. & 107.

Nummis conſpicitur. Quod vero ad characterem Є attinet, Placentinus ipſe obſervavit (1), quod litera E *ineunte Romano Imperio mutata eſt in hanc formam Є: quae quidem ante Romanum Imperium in Nummis, & Marmoribus nuſquam obſervatur; ſed eo ineunte in Nummis Iulii Caeſaris ſub Auguſto cuſis adhibita eſt*. Ita Cl. Lupus ad Epitaphium Severae (2), ut Sponii ſententiam refelleret, qui formam illam *ſequiori aetate circa ſaeculum quintum* uſurpatam putaverat (3), obſervavit illam in Nummis Graecis Imperatorum, atque Auguſtarum etiam antiquarum reperiri, eamque in triumphali Crucis titulo conſervari; idemque prorſus de litera Σ contendit, quae rotunda, ſive lunata forma iis Caeſarum temporibus adhibebatur: quemadmodum Placentinus ait (4) *in Nummis, & Inſcriptionibus ab exitu primi Augg. ſeculi ſigma rotundum occurrere*. At eximii praeſtantiſque Monimenti noſtri praeſidio facile certoque iam diſcimus, characterem Є longe ante Caeſarum aetatem adhiberi conſueviſſe; quemadmodum facile character σ, qui in voce σΥΦΑ exaratus conſpicitur, non aliud fortaſſe refert, quam C, ſive lunatum ſigma, quod in inferiori parte aberrantis ſcalptoris manu nimis recurvum prodierit; neque plurimum fortaſſe falletur, qui characterem alium ʒ in voce ΔΙΑʒѠΖЄ pro ſigmate inverſo explicaverit: quum certe in Marmoribus, ac Nummis perveтuſtis, quin etiam in hoc ipſo aereo Vaſe, ſigma hac ratione Ƹ exprimatur; characteres vero inverſo aliquando ſitu exaratos eſſe, tum pluribus Monimentis aliis, tum Pheſcuporidis Nummis oſtendi poſſit, in quibus legitur: BA-

(1) Pag. 18. & 103. (2) Pag. 130. (3) Miſcell. Erud. Antiqu. (4) Pag. 21. & 106.

Digitized by Google

ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΦΗϹϠΟΥΠΡΙΌΟϹ

Verum de poſtremis characteribus illis, qui in hac epigraphe reperiuntur, opportune diſſerendum erit, ubi prior Inſcriptionis pars explorata iam fuerit.

III. Antequam tamen obſcuram hanc, mireque perplexam aerei Crateris epigraphem tentare aggrediar, verumque inde ſenſum, ſi fieri id quidem poterit, exſculpere enitar, nonnulla de Mithridatis Eupatoris aetate conſtitui debent, ex quibus uberior fortaſſe huic inſigni Monimento ſplendor affulgere poterit; ſicuti viciſſim Mithridatis aetati confirmandae ex ipſo Monimento praeſidium accedet. Mithridatem hunc, qui, Appiano (1) & Cicerone (2) teſte, *Dionyſii*, atque *Eupatoris* etiam nomen obtinuit, Mithridati *Evergetae* patri in Ponti imperio ſucceſſiſſe Scriptores omnes teſtantur. Ipſum 46. annis cum Romanis perpetuum fere bellum geſſiſſe ait Iuſtinus (3); quamvis annos illos 40. ſolum fuiſſe dixerit Florus (4); quod Eutropius (5) etiam, Plinius (6), atque in *Mithridatici* fine Appianus (7) teſtatur; licet alibi in *Mithridatici* (8) initio illos 42. fuiſſe, illudque bellum Olymp. 173. hoc eſt anno V. C. 666. exarſiſſe dixerit; quod nimirum tunc Sulla in Graeciam traiiciens, Mithridati iampridem exultanti bellum intulerit: quo plane fieret belli annos 27. ſive, ut Oroſius (9) ait, 30. fuiſſe. Quod autem ad Mithridatis huius aetatem attinet, Appianus ipſe teſtatur (10) illum 68. ſive

(1) Mithridatic. (2) Orat. pro Flacco c. 25. (3) Libr. 37. c. 1. (4) Libr. III. c. 5. (5) Libr. VI. (6) Libr. VII. c. 26. (7) Mithrid. pag 249. & in Syriac. pag. 218. (8) Pag. 170. (9) Libr. VI. (10) Mithrid. pag. 249.

ſive 69. aetatis anno obiiſſe, quum 57. annos in Regno exegiſſet; quamvis Eutropius (1), & Oroſius (2) etiam 60. Regni annos ipſi conceſſerint; atque ipſum 72. annos vixiſſe dixerint. Itaque in tanta opinionum varietate Vaillantius, qui Mithridatis huius, aliorumque Ponti Regum hiſtoriam accuratiſſime contexuit (3), Eutropii potius atque Oroſii calculum amplectitur; adeoque Mithridati Eupatori 72. aetatis annos adſcribit; quumque ille *undecimo*, ut inquit Strabo (4), ſive *duodecimo* ex Eutropii (5) ſententia, ſive *tertiodecimo* ex Memnone (6) aetatis anno, morienti patri in regno ſucceſſerit, non minus quam 60. regni annos illi tribuendos eſſe contendit Vaillantius; ut proinde Mithridatis huius initium in annum V. C. 631. inciderit, quum certe anno V. C. 691. Mithridates Eupator a Pompeio ſuperatus regnum, vitamque ſimul amiſerit. Mihi vero ſingula Scriptorum teſtimonia accuratius excutienti, longe veriſimilius videtur, Appiani calculum, atque ſententiam ceteris omnibus praeferendam eſſe. Vt enim omittam Appianum ipſum, qui proxime Strabonis, ac Mithridatis aetatem attigerat, res ab illo geſtas peculiari ſtudio inveſtigaſſe, deditaque opera in *Mithridatico* expoſuiſſe, ipſius ſententia cum Strabone mire conſpirat, qui non modo Amaſeae in Cappadocia, hoc eſt in ipſo fere Eupatoris Regno, natus erat; ſed domeſtica quoque Regis illius monimenta conſpexiſſe poterat, quum Dorilaus, & Moaphernes Strabonis gentiles, Mithridatis Regis amicitia fruerentur (7). Itaque, ſi, Strabone teſte, Mithridates undecimo, ut

(1) Libr. VI. (2) Libr. V. c. 5. (3) Hiſtor. Reg. Ponti. (4) Libr. X. pag. 478. (5) Libr. XI. (6) Apud Photium pag. 727. (7) Strab. Libr. VII. pag. 557.

ut videtur, iam abſoluto, duodecimoque ineunte aetatis anno regnum ſuſcepit, atque annis 57. imperavit, perſpicue apparet optime 68. ſive 69. vitae annos ab Appiano illi concedi. Eutropii vero ſententia ideo facilius hic deſeri, corrigique debet, quod ille in ſubducendo annorum numero, veraque Mithridatis aetate definienda, aberraſſe, ſibique inconſtans eſſe videtur. Etenim ubi de bello loquitur, quod (1) contra Ariſtonicum Attali filium, a P. Licinio Craſſo Conſule anno V. C. 623. ſuſceptum, moxque a Perpenna Craſſi ſucceſſore confectum fuit anno V. C. 624. dicit quod aliorum Regum inſtar *Mithridates Ponticus, cum quo poſtea bellum graviſſimum fuit, Romanos iuvit*: perinde quaſi anno V. C. 623. Mithridates *Eupator* iam imperaret, adeoque 70. ſaltem annis in Ponto regnaverit. Itaque, ſicuti Eutropius hic certe fallitur, atque *Eupatorem* cum *Evergeta* ipſius patre confundit; ita quoque facile aberraſſe ille potuit ubi 60. imperii, ac 72. aetatis annos *Eupatori* adſcribit. Quod ſi verior alia, atque accurata Appiani ſententia eligatur, Eupatoris regnum anno V. C. 644. incoepiſſe debuit; quumque Ponti Reges imperii annos ab anno 3. Olymp. 118. hoc eſt V. C. 448. numerarent, ut ex Pharnacis Nummo Vaillantius oſtendit, annus ille, quo Mithridates Eupator patri ſucceſſit, in Pontica Aera eſſe debuit 196. quemadmodum certe in Eupatoris eiuſdem Nummis anni ΘΣ. 209. ΒΙΣ. 212. ΘΙΣ. 219. ΒΚΣ. 222. ΓΚΣ. 223. inſculpti conſpiciuntur, quibus anni V. C. 657. 660. 667. 670. 671. deſignantur. Nullum tamen praeſidium aliud ex Nummis ipſis haberi poteſt, ut vera Mithridatis aetas conſtitui

(1) Lib. IV.

cui poſſit, quum Pontica quidem Aera, adeoque V. C. annus in illis exprimatur; nullibi tamen in Nummis ipſis imperii anni deſignentur: quod in Pharnacis ſolum, aliorumque regum Nummis mox factum conſpicitur. In aereo tamen hoc Monimento, ſive Regis donario, non alios, quam regni annos inſcriptos eſſe mox oſtendetur, novuſque proinde ſplendor hinc facile orietur, ut Mithridatis aetas ſuperius conſtituta, adeoque Appiani ſententia mirifice confirmetur; perſpicue nimirum oſtendatur, quod 54. regni annus in annum V. C. 687. adeoque primus in annum V. C. 644. incidiſſe debuit.

IV. Itaque, ut a *Regis Mithridatis Eupatoris* nomine, quod perſpicue explicateque in aereo hoc Vaſe conſpicitur, ad obſcuriora nomina, contractaſque voces digrediar, quae repente nobis occurrunt, atque ipſarum valor, nitiduſque ſenſus intelligi exponique poſſit, illud initio obſervandum exiſtimo, quod characteres ΝΔ non aliud, quam numerales notae, eſſe poſſunt; quae, quum prius a ſcalptore in exaranda epigraphe minus affabre, confuſe, vel perperam inciſae forent; mox clarius & accuratius in ſuperiori areae parte ſupra verſum ipſum iterum inſculptae fuerint. Ac certe quidem in epigraphe, vel inferiori verſu ita exaratae illae fuerant, ut character Ν una cum Γ coniunctus foret, numerumque 53. exprimeret; quumque numerus ille vel obſcurior, vel potius falſus eſſet, eiuſque loco numerus 54. exarari deberet, ſcalptor admiſſum errorem corrigens numerum ipſum ΝΔ 54. ſuperius expreſſit. Eodem ipſo iure, ſimilique ratione etiam character, aut ſignum Μ, quod proxime praecedit, nu-

numeralis nota videri fortaſſe poſſet, adeoque characterem Σ prone iacentem referre: quo plane fieret numerum ΣΝΔ 254. hic haberi, quemadmodum prorſus in Nummis antea laudatis numerus, ΘΣ, ſive ΒΙΣ, ſive ΘΙΣ, ſive ΒΚΣ, ſive denique ΓΚΣ exprimendae Ponticorum regum Epochae reperitur; ideoque in aereo hoc Vaſe 254. Ponticorum annus haberetur. At Mithridates Eupator anno 254. Aerae Ponticae, hoc eſt V. C. 702. e vivis exceſſerat, ut antea demonſtravi; ergo character, vel ſignum Μ numeralis nota, ceteris mox ſequentibus adiungenda, eſſe non poterit; nihilque prorſus aliud cenſeri illa debet, quam contractionis, compendiique nota, quae ſubiectis characteribus ΤΒ ſuperimpoſita, vel appicta fuerit: quum praeſertim characteres ipſi ΤΒ veluti Siglae, ſive primae ac initiales vocum quarumdam literae, haberi debeant; quemadmodum certe in antiquiſſimo Amintae Regis Nummo vox Βασιλέως unico charactere Β deſignatur, ut in Prolegomenis ad *Graecorum Notas* oſtendi (1). Itaque in Notis ΝΔ perſpicue certoque annorum numerus intelligi, legique debet; characteres autem ΤΒ nihil aliud ſignificant, quam Τῆς Βασιλείας, *Regni*; ut nempe exprimatur a Mithridate rege Vas illud oblatum fuiſſe anno regni 54. qui ex Appiani calculo in exeuntem fere annum V. C. 687. certiſſime inciderat. Confuſos autem temereque, ut videtur, a ſcalptore mox ductos characteres alios ΛΥΕ nihil moror; illud unum obſervans, quod character Ε eadem prorſus forma hic occurrit, qua in variis Arſacidarum Nummis conſpicitur; ibique facile vocem Ἔτους deſignat; quamvis ſcalptor characterem

(1) Pag. 15.

rem E alia prius forma exarare coepiſſet; moxque durioris fortaſſe, ac aſperioris materiae difficultate impeditus, utramque imperite, atque imperfecte formaverit. In hac hypotheſi, quae facile, opinor, eruditis, peritiſque Viris probabitur, qui plura id genus compendiorum genera tum in Nummis, tum in aereis etiam, atque marmoreis Graecorum Tabulis obſervarunt, perſpicuum fieret, Inſcriptionem hanc anno V. C. 687. exaratam fuiſſe, quo Mithridati Eupatori 54. in regio imperio annus agebatur. Id vero cum hiſtoria, rebuſque a Mithridate geſtis mire conſpirat. Etenim ille anno V. C. 680. a L. Lucullo Conſule bello preſſus, tandemque anno 683. ſuperatus, in Pontum primo, tum in Armeniam ad Tigranem Regem confugit; adeoque Pontus univerſa a Romanis occupata fuit poſtquam Lucullus Eupatoriam Vrbem regni ſedem expugnavit, ut Appianus teſtatur. Iterum anno 4. Olymp. 177. ut Phlegon apud Photium (1) memorat, hoc eſt V. C. 685. uterque Rex cum Lucullo congreſſi, ac ſuperati ſunt; neque modo Pontus, ſed Armenia quoque Romanorum imperio ſubacta, eiuſque regni ſedes Tigranocerta occupata fuit. Sed quum armorum Romanorum imperium Triario commiſſum foret, atque Lucullus a militibus deſertus eſſet, Mithridates collectis undique copiis cum Triario feliciter dimicavit; ipſoque ſuperato, regnum, regiamque urbem Eupatoriam recuperavit; ibique tamdiu tranquille vixit, donec audita a Romanis Triarii clade, atque Luculli infortunio, Pompeius a Romanis ipſis Imperator electus, conficiendoque Mithridatico bello Lucullo ſuffectus in Pontum advenit, ſequentique

(1) Cod. 97.

tique anno V. C. 688. Mithridatem regno expulit; eoque tandem adegit, ut exeunte anno V. C. 690. ſive 691. ineunte, Mithridates Pharnacis filii perfidia, militumque defectione perterritus, ſibi cum veneno, tum gladio mortem conſciverit. Ergo, ſi annum unum V. C. 687. ſive regni 54. exceperis, nullus eſt certe, in quo Mithridates iam regno pulſus, & extorris, undique a Romanis bello preſſus, de *Eupatoriſtis*, de *Gymnaſio*, de Ludis, de aereis vaſibus, ludicraeque victoriae praemiis cogitare potuerit; at anno imperii 54. V. C. 687. quo de Triario, victiſque Romanis triumphum agens Eupatoriam inviſit, regnumque recuperavit, facile intermiſſa iamdiu Gymnaſii ſpectacula inſtauravit, eademque victoribus praemia conceſſit. Itaque, quum temporis annique characteres in aereo hoc Vaſe expreſſi una cum Mithridatis hiſtoria, variiſque caſibus adeo conveniant; nullus propemodum dubitandi locus ſupererit, quin in ſecunda, & obſcuriori Epigraphes parte legendum ſit Τῆς Βασιλείας ἔτει ΝΔ *regni anno* 54. Exinde vero, ut ſuperius admonui, Appiani ſententia confirmari, adeoque Eutropii, & Vaillantii opinio manifeſtiſſime refelli poteſt. Etenim, ſi Mithridates Eupator 60. in regno annos exegiſſet, 54 ipſius annus in annum V. C. 884. incideret, quo iampridem Mithridates ipſe ſuperiori anno ſuperatus in Armeniam confugerat, Pontique Vrbes a Lucullo captae fuerant, annoque proximo 685. iterum Mithridates a Lucullo profligatus vix ac ne vix quidem de Ponti Gymnaſio, ac Eupatoriſtis cogitare potuiſſe videtur.

V. Proxime poſt regis nomen, atque annum, quo

quo Crater iſte elaboratus, dicatuſve fuit, ſequitur in inſcriptione

ΤΟΥ ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΙΣΤΑΙΣ

Eupatoriſtae nomen, quod in aereo ſolum hoc Monumento nobis occurrit, ita Pocokius ex Wardi hypotheſi, vel conjecturis exponit, ut ille Gymnaſii cuiuſdam in Delo poſiti Praefectus dicatur, cui Mithridates munus illud obtulerit: „ According to the obſervations of the learned „ Profeſſor Ward of Greſham college this vaſe „ is ſuppoſed to hare been the preſent of Mi- „ thridates Eupator, king of Pontus, to the Eu- „ patoriſta of the Gymnaſium of Delos; thoſe „ officers are ſuppoſed to hare been called ſo „ in honour of this prince, and conſequently „ the vaſe was brought from Delos to Antium. *Iuxta eruditi Wardi in Greſhamenſi Collegio Profeſſoris obſervationes, eiuſmodi Vas Mithridatis Eupatoris Ponti regis munus fuiſſe videtur oblatum Eupatoriſtae Gymnaſii Delus: iique magiſtratus; aut miniſtri in regis huius honorem ita appellati videntur; ideoque vas iſtud Delo Antium delatum fuit.* Non facile profecto ego dixerim quid Wardum, ac Pocokium ipſum impulerit, ut in explicanda *Eupatoriſtae* voce ad Delum confugerent; ibique Gymnaſium, aut Gymnaſiarchas in Mithridatis *Eupatoris* honorem inſtitutos inquirerent. Vtrique tamen, ut opinor, impoſuit Inſcriptio, quam Sponius in ea Delus Inſulae parte reperit, quae nunc quoque *Schola* vocatur; & in qua Deliorum Gymnaſium extitiſſe videtur. Prima Mithridati Evergete Eupatoris patri dicata fuit (1)

B A-

(1) Itiner. Tom. III. pag. 85.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΣΕΛΕΥΚΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΓΥΜΝΑ
ΣΙΑΡΧΩΝ

Altera *Eupatori* ſuperioris filio ita inſcribitur:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥ
ΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΤΥΧ . . . . ΤΟΥ
ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΝΕΣ . . . ΝΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗ
ΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Vtraque Inſcriptio marmoreae hypobaſi inſculpta perſpicue oſtendit utrique Mithridati ſtatuas in Delo a Gymnaſiarcha variis temporibus, ut varium Gymnaſiarchae nomen demonſtrat, ipſiſque ſuperſtitibus, collocatas fuiſſe: quo plane fieri potuiſſe videtur, ut Gymnaſiarcha ab illis originem, aut nomen ſortitus iam foret; ideoque *Eupatoriſta* ab *Eupatore* vocaretur; ipſique aheneum Vas in Gymnaſii uſum oblatum eſſet. At, niſi plurimum fallor, nihil ex Delio Gymnaſio, nihilque prorſus ex Mithridatum ſtatuis, hoc eſt ab honoribus, quos Delii utrique Regi praeſtiterunt, exſculpi poteſt, ut *Eupatoriſta* quidam in Delo admittatur, aheneumque Vas Deliorum Gymnaſio oblatum videatur. Etenim, ut inde exordiar,

B Gym-

Gymnaſium quoddam in Delo ante *Eupatorem* extitiſſe, tum ex monimentis aliis, tum ex priori titulo *Evergeti* poſito perſpicue apparet; ac civis ille, qui Gymnaſio praeerat, non alio, quam veteri ſolemnique *Gymnaſiarchae* nomine appellabatur. Quod ſi in *Eupatoris* ipſius honorem novo deinde *Eupatoriſtae* nomine vocari coepiſſet, id facile in hoc ipſo marmoreo titulo regi dicato uſurpatum fuiſſet; aut certe in Atticis Scriptoribus, qui ſingula magiſtratuum Deliorum nomina, ſacroſque ritus exponunt, aliquando nobis occurreret; quum tamen eiuſmodi nomen nullibi memoretur. Ac, ne coniecturis, & argumentis aliis hic immorer, tantum abeſt ut Mithridates Eupator poſtremis imperii annis Gymnaſium in Delo exſtruere, vel ipſius Praefectum nomine ſuo decorare, vel ipſi munus aliquod, regiaeque benevolentiae monimentum offerre potuerit; ut potius Delios ipſos acerrimo odio ſit proſequutus, ipſiſque libertatem atque opes ademerit. Certe vix ille bellum in Romanos excitaverat, quum Archelaus ipſius dux Delum inſulam, quae ab Athenienſibus Regi amicis defecerat, diripuit, eamque iterum Athenienſium imperio ſubiecit, ut nitide deſerteque Appianus teſtatur. Id etiam, licet obſcurius, a Strabone (1) memoratur, qui, quum dixiſſet Athenienſes Inſula potitos eſſe, ſubdit: *ἐπελθόντες δ' οἱ Μιθριδάτου στρατηγοὶ, καὶ ἀποστήσας τύραννος αὐτὴν διελυμήναντο πάντα, καὶ παρέλαβον ἐρήμην τὴν νῆσον πάλιν οἱ Ῥωμαῖοι ἀναχωρήσαντος εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ βασιλέως: ſupervenientes Mithridatis duces, & tyrannus eam ad defectionem pertrahens omnia devaſtaverunt; rurſumque Romani inſulam* occu-

(1) Lib. X. pap. 486.

occupaverunt deſertam, quum Rex domum ſe receperiſſet. Etenim Archelaus poſt annum V. C. 666. quo Athenas invaſit, Delios quidem a Romanorum ſocietate abduxit, ipſoſque Athenienſibus, a quibus defecerant, ſubiecit; ſed Inſulam tamen minime delevit, quod ſequioribus ſolum temporibus a Menophane Mithridatis duce factum fuit, poſtquam Delus ipſa captis a Sulla Athenis anno V. C. 668. per aliquod temporis ſpatium Romanorum imperio ſubiecta fuerat. Itaque ſuperior quidem Inſcriptio, & ſtatua Mithridati regi, vel ante annum V. C. 660. priuſquam nempe rex ille Graecis, ac Romanis infenſus eſſet, vel inter annum V. C. 666. & 668. poſita a Deliis videtur, ut Archelai, vel Regis iram lenirent, ſibique Regis gratiam conciliarent; ſed nullum tamen ibi Gymnaſium tunc *Eupatori* in illa dicatum, nullumque a Rege vel nomen, vel munus conceſſum videtur. Denique, ne rationes alias hic perſequar, quum hedeum Vas anno demum regni 54. hoc eſt V. C. 687. ſculptum fuerit, quo Delii Romanis Mithridati infenſis parebant, ac Mithridates ipſe, bello iam fractus acerrimo, Romanos, eiſque foederatos odio inſectabatur, qui fieri umquam potuit, ut Deliorum Gymnaſio munus offerret, atque in Delo Regis memoria, & *Eupatoriſtae* munus haberetur? Huc etiam accedit, quod graviſſimus auctor Pauſanias Delum Inſulam a Menophane Mithridatis duce donariis omnibus ſpoliatam, civibus ſub corona venditis direptam, urbemque totam ſolo aequatam fuiſſe memorat (1); quod non I. Mithridatico bello, ſive Olymp. 173. ut Cl. Dorvillius (2) exiſtimavit; ſed longe ſerius contigiſ-

(1) Lib. III. c. 23. (2) Exercit. de Inſula Delo.

tigiſſe debuit, ut ex Appiani, aliorumque teſtimoniis apparet; ſed ita tamen, ut anno V. C. 687. funditus deleta illa foret, adeoque neque Gymnaſium, neque Gymnaſiarchae munus in illa ſupereſſet.

VI. Quod ſi *Eupatoriſtae* nomen, atque inſtitutio in Delo Inſula inquiri, vel conſtitui non poteſt, ubinam demum Gymnaſium illud, atque Eupatoriſtae munus ſupponi iam poterit? Non alibi certe, opinor, quam in Ponto; ubi nempe Mithridates ipſe imperabat, Graecorumque mores, & gloriam aemulatus, Vrbem, Gymnaſium, Gymnicoſque Ludos inſtituerat. Ac de Vrbe quidem a Mithridate condita Strabo pluribus differit, ubi, quum Phanoraeae convallem, quae Ponti totius pars optima fuerat, deſcripſiſſet, ait convallem ipſam a Lyco fluvio ex Armenia defluente, & ab Iri, qui ex anguſtiis apud Amaſeum irrumpit, irrigari: tum ſubdit (1) συμβάλλουσι δ' ἀμφότεροι κατὰ μέσον πῃ τὸν αὐλῶνα· ἐπὶ τῇ συμβολῇ δ' ἵδρυται πόλις, ἣν ὁ μὲν πρῶτος ὑποβλημένος Εὐπατορίαν ἀφ' αὐτοῦ προσηγόρευσε. Πομπήϊος δ' ἡμιτελῆ καταλαβὼν, προσθεὶς χώραν, καὶ οἰκήτορας, Μαγνόπολιν προσεῖπεν. αὕτη μὲν οὖν ἐν μέσῳ κεῖται τῷ πεδίῳ: *coëunt utrique in media fere convalle: ad eorum confluentes Vrbs ſita eſt; quam primus conditor a ſe vocavit Eupatoriam: eam Pompeius, quum ſemiperfectam offendiſſet, agro, & civibus additis, Magnopolim appellavit. Atque haec quidem in media iacet planitie.* Eadem fere Appianus ipſe de Eupatoria Vrbe a Mithridate condita teſtatur (2), ipſamque velu-

(1) Libr. XII. pag. 556. (2) Mithridatico.

veluti regiam, & regni ſedem ab Eupatore inſtitutam, moxque a Lucullo obſeſſam, deſcribit: Λυκοῦλλος δ' Ἀμισόν τε, ϗ Εὐπατωρίαν, ἥντινα τῇ Ἀμισῷ παρῳκοδόμησεν ὁ Μιθριδάτης, Εὐπατωρίαν τε ὀνόμαζεν ἀφ' ἑαυτοῦ, ϗ Βασίλεια ἡγεῖτο, παρακαθήμενος ἐπολιόρκει: *Poſt haec Amiſum & Eupatoriam, quam Amiſo finitimam Mithridates condidit, atque Eupatoriam a ſuo nomine vocavit, & regia illius appellabatur, Lucullus obſidere pergit*. Denique etiam Plinius (1) de Eupatoria ipſa loquens, ait: *Amiſo iunctum fuit oppidum Eupatoria, a Mithridate conditum. Victo eo, Pompeiopolis utrumque appellatum eſt*; quamvis ille, & Appianus etiam in deſcribendo Eupatoriae ſitu a Strabone diſſideant; niſi fortaſſe potius Eupatoria ad Iris, & Lyci confluentes ſita, moxque *Magnopolis* appellata, ab Eupatoria oppido diſtingui debeat, quod Amiſo proximum foret, moxque *Pompeiopolis* vocatum ſit; quum praeſertim Plinius *Magnopolim* a *Pompeiopoli* Amiſo coniuncta diſtinguat. Ceterum Eupatoriam hanc eximio cultu a Mithridate ornatam fuiſſe, ibique ipſum regni ſedem fixiſſe, perſpicue oſtendit Appianus, qui Regis ſorores, & uxores in illa habitaſſe teſtatur. Quod vero ad Gymnaſium in illa conſtructum, vel inſtitutum attinet, nihil quidem a Scriptoribus memoriae proditum eſt; ſed facile id tamen coniici, maximaque veri ſpecie ſupponi poterit; quum Rex ille gymnicis, ac equeſtribus exercitationibus delectaretur. Etenim, ut varia Certaminum genera omittam, quae perſpicuo Plutarchi loco a Mithridate Rege inſtituta fuiſſe mox oſtendetur, Plutarchus ipſe teſtatur, quod

(1) Libr. VI. c. 2.

quod Pompeius, extincto iam Mithridate, literas in ſcriniis reperit, in quibus arcana plurima continebantur: tum ſubdit: ἐξ ὧν ἐφωράθη φαρμάκοις ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν υἱὸν Ἀριαράθην ἀνῃρηκὼς καὶ τὸν Σαρδιανὸν Ἀλκαῖον, ὅτι παρευδοκίμησεν αὐτὸν ἵππους ἀγωνιστὰς ἐλαύνων: *deprehendit eum veneno ſuſtuliſſe alios multos, tum filium ſuum Ariarathem, & Alcaeum Sardianum, quod is eum equeſtrium certaminum gloria ſuperaſſet*. Itaque, ſi Rex equeſtribus certaminibus non intereſſe modo, ſed etiam exerceri, delectabatur; quid veriſimilius eſſe umquam poterit, quam ab ipſo in Eupatoria regni ſede Gymnaſium aliquod inſtitutum fuiſſe, in quo, Graecorum more, Certamina ederentur, victorique praemium concederetur? Et quemadmodum in pluribus Graecorum Ludis aut aereum, aut argenteum, aut fictile etiam Vas praemii loco dabatur; ita quoque Eupatoriae; vel in Eupatoriae Gymnaſio aereum Vas iſtud, praemii inſtar, a Mithridate conceſſum fuerit, quod illuſtrandum ſuſcepi.

VII. Si id ego rite feliciterque coniecerim, iam facile verborum ſenſus haberi, vocesque in aereo Vaſe exaratae explicari fortaſſe poterunt. Itaque, ſi ΕΥΠΑΤΟΡΙΣΤΑΙΣ legatur, ultima nimirum litera Z temere efformata, atque pro Σ inſculpta dicatur, ſenſus erit, a Mithridate Rege Vas iſtud anno V. C. 687. *Eupatoriſtis Gymnaſii* conceſſum fuiſſe, hoc eſt Eupatoriae civibus, qui in Gymnaſio certarunt. Si *Eupatoriſtarum* nomine non Eupatoriae cives, ſed Gymnaſio Praefecti indicentur, ipſorum nomen ab *Eupatoris* inſtitutoris nomine facile deduci poterit. Sin vero non ΕΥΠΑΤΟΡΙΣΤΑΙΣ, ſed ΕΥΠΑΤΟΡΙΣΤΑΙ,

cum

cum Wardo legatur, unicus quidem aut Gymnaſii Praefectus, aut Victor indicabitur, poſtremuſque character Z veluti perperam adſcriptus, atque ſolius interpunctionis inſtar, appictus videbitur; ſicuti prorſus character ♀, qui ante vocem TOY reperitur, non aliud, quam interpunctionis nota, eſſe poteſt. At fieri fortaſſe etiam poterit, ut quemadmodum in voce ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ, character A prorſus omittitur; ita hic quoque literae temere tranſpoſitae fuerint; adeoque legendum ſit τῦ Γυμνασίυ ΕΥΠΑΤΟΡΙΑΣ Τ ΙΖ. hoc eſt Τοῦ ΙΖ *anno* 17. ut quemadmodum nempe ſuperius dicitur τῆς βασιλείας ἔτυς ΝΔ *regni anno* 54. ita nunc dicatur τοῦ Γυμνασίυ Ἐυπατορίας τοῦ (*ſupplendum* ἔτυς) ΙΖ *Gymnaſii Eupatoriae anno* 17. adeoque annus & ab inito regno, & ab inſtituto Gymnaſio exprimatur. Idque concinnius & accuratius obtineri etiam poſſet, ſi poſtrema litera Z negligenda foret, ſolaeque numerales notae AI ſupereſſent, quibus *undecimus* Gymnaſii annus deſignaretur. Quod ſi Rex ipſe *Eupatoriſtae* munus obiverit, quemadmodum certe in Gymnaſio certare, & vincere conſueverat; fortaſſe legi poſſet Ο ΤΟΥ ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΙΣΤΑ ΙΖ, voceſque illae ad Mithridatem ipſum referri; ut nempe exprimatur illum, *decima & ſeptima vice*; ſive, ſi libet, *decimo ac ſeptimo anno Eupatoriſtam* fuiſſe; quemadmodum fere Rhoemetalcem Thraciae Regem Athenis *Archontis* Eponymi dignitatem ſuſcepiſſe, atque Hadrianum ipſum Imperatorem tum *Archontis*, tum *Agonothetae* munus obiiſſe in Faſtis Atticis obſervavi (1). Deni-

(1) Tomo II. pag. 196. & Tomo II. pag. 110.

nique coniicere, vel ſuſpicari quis poterit legendum eſſe

ΟΙ ΤΟΥ ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ ΕΙΠΑΤΟΡΙΣΤΑΙ Ζ

quod nempe cives *ſeptem* Gymnaſio Praefecti, atque *Eupatoriſtarum* nomine inſigniti forent, ipſorumque nomen Regis nomine in publicis victoriae monimentis, ſive praemiis exprimeretur; quemadmodum in plurimis Atticorum Marmoribus, in quibus victoriae monimentum inſcribitur, *Archontis* Eponymi, ſimulque *Coſmetarum*, *Gymnaſiarcharum*, *Paedotribarum*, & *Sophroniſtarum* nomen exprimitur. Poſtremo, ne id quoque diſſimulem, fortaſſe characteribus, aut notis illis aerei Vaſis valor, aut pondus exprimitur; adeoque legendum erit ΕΥΠΑΤΟΡΙ ΣΤΑτηρων ΙΖ *Eupatori*, hcc eſt victori, qui *Eupatoris* nomine decoraretur, Vas deſtinatum, pondo *ſtaterum ſeptendecim*: quumque ſtater quatuor drachmarum pondus aequaret, Vaſis pondus ad 70. drachmarum pondus accederet, quarum 84. in argenti libra continebantur. Itaque, ſi notis illis Lebetis, aut donarii valor indicatur, 70. drachmis Atticis; hoc eſt Romanis denariis aut iuliis 70. aeſtimabitur. Sin vero de Philippaeis, ſeu de Macedonicis ſtateribus intelligatur, quum ipſorum quilibet 20. drachmis Atticis, ſive Romanis denariis, pondere aequalis eſſet, aereum Vas 340. drachmas Atticas, vel 4. Romanorum libras aequaſſet.

VIII. Atque hactenus quidem priores Inſcriptionis voces qua perſpicuis, qua probabilibus, qua ambiguis etiam & obſcuris coniecturis,

ris, indiciis, aut argumentis expoſui. Poſtremas autem ipſius voces, inſuetis alicubi characteribus exaratas, quis aperte legere, vel explicare ſe poſse glorietur? Si Lebes, aut Vas iſtud donarium aliquod foret, quod Iovi, Aeſculapio, vel Numini, aut Heroi cuidam dicatum eſſet, proclive profecto foret in illo contractum *Sypharis* nomen, regii nempe filii, quem Mithidates pater anno V. C. 690. interemit, ſuſpicari; adeoque legere ΣΤΦΑρην ΔΙΑΣΩΖΕ *Sypharim conſerva*: perinde quaſi donarium illud, anathematis, ac voti inſtar, Numinis Templo pro Sypharis incolumitate oblatum fuiſſet. Sed, quum neque Numinis, neque Templi, ſed Regis ſolum, ac Gymnaſii nomen occurrat, quis ambiguas, & obſcuras notas illas exponat? Non is profecto ego ſum, qui facile cyfras illas, & arcana fere Sybillae oracula exponi, certaque ratione explicari a me poſſe confidam. Ne tamen aut animum deſpondere, aut poſtremam hanc Epigraphes partem intentatam relinquere videar; ea, qua par eſt, modeſtia, mihique ipſi diffidens, breviſſime exponam quid cogitanti mihi iampridem affulſerit; neque plurimum fortaſſe vel a Mithridatis regis ingenio, vel a Ludorum conſuetudine, vel a donarii hiuius, aut monimenti genere abhorreat. Itaque primum ſuſpicor Vas iſtud, cui Mithridatis Regis, & Gymnaſii nomen inſcriptum conſpicitur, non aliud fuiſſe, quam ἆθλον hoc eſt munus, & donarium, quod in Gymnaſio, praemii ac mercedis inſtar, victori conceſſum fuerit, qui in aliquo pugnae, vel certaminis genere palmam retuliſſet. Id ipſum *Gymnaſii* nomen perſpicue, ut opinor, oſtendit; longeque clarius ex veteri, ſolemnique more deduci po-

teſt,

teſt, quo in Ludis aliis victores variis phialarum generibus donatos eſſe conſpicimus. Ita in Pythiis Ludis Sicyone (1), in Diocliis Megarae, in Aiaciis in Aegina (2), in Demetriis, ſimulque Eleuſiniis Eleuſine, in Heracliis Marathone (3) argentea phiala veluti praemium victori tribuebatur, ut ex Pindari Scholiaſte, aliiſque Scriptoribus erudimur. Hinc frequenter aureae, argenteaeque phialae χρυσίδες, & ἀργυρίδες a Scriptoribus memorantur, eaeque modo *Crateres*, modo *Lebetes* vocantur, ut Pindarus (4) ait:

Ε'ν τ' ἀέθλοισι θίγον πλείςων Α'γώνων,
Καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον,
Καὶ λεβήτεσσιν, φιάλαισίτε χρυσῶ

Inque praemiis attigerunt plura certamina,
Et tripodibus ornaverunt domum,
Et lebetibus, phialiſque aureis.

quemadmodum in veteri Epigrammate (5) utrumque praemii nomen occurrit:

Οὐ γάρ σοι κρατὴρ χαλκήλατος, ὐδὲ λέβητες
Α'λλ' ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς ἔπαθλον ἔφυ.

Non enim tibi Crater aereus, neque Lebetes;
Sed via in aulam Iovis praemium eſt.

Ac, ne plurima id genus exempla perſequar, in Panathenaeis Athenienſium Feſtis victori fictile vas, aut amphora oleo plena donari conſueverat; quod, Pindari, aliorumque Scriptorum teſtimoniis, in Faſtis Atticis (6) dimonſtravi, ubi plura de celebri, & antiquiſſimo hoc Athenienſium mo-

(1) Nem. IX. verſ. 128. (2) Pind. Ol. XII. (3) Olymp. IX.
(4) Iſthm. Od. I. (5) Anthol. Lib. IV. c. 28. epigr. 4.
(6) Tom. I. pag. 30.

more Lector inveniet. Illud unum addidiſſe nunc libet, quod ſcribenti mihi tunc nondum affulſerat, nimirum in Amphoris illis Archontis Eponymi nomen, ſimulque Certaminis memoriam inſcribi conſueviſſe, ut perſpicue certoque ex Vaſe fictili deducitur, quod a Cl. Muratorio profertur in novo Inſcriptionum Theſauro pag. 611. n. 1.

Perae in Vrna fictili
ΑΓΑΣΙΑΣ ΑΡΧΩΝ
ΤΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ
Agaſias Archon
ex Athenis Ludorum *praemium*.

Agaſias ille, cuius nomen Amphorae, vel donario inſcribitur, Athenis ſupremus, ac Eponymus Archon erat; eiuſque nomen Archontum aliorum nominibus adiungi debet, quos ego omnium primus ex tenebris erutos Faſtis Atticis (1) inſerui. Ita propemodum victoriae in Panathenaeis ipſis partae ſymbolum eſſe putaverim phialam, quae cum palma in Attico Marmore reperitur, quod Celeberrimus Maffeius in Muſeo Veronenſi (2) accuratiſſime expreſſit, ubi legitur:

ΕΠΙ ΘΕΩΝΟΣ	*Sub Theone*
ΑΡΧΟΝΤΟΣ	*Archonte*,
ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝ	*Coſmeta Diony-*
ΥΣΙΟΥ ΜΑΡΚΟΣ	*ſio. Marcus*
ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ	*Anaphlyſtius*
ΓΥΜΝΑ	*Gymnaſiar-*
ΣΕΙΑΡ	*chae munere*
ΧΗΣ	*functus*
ΑΣ	

Quem-

(1) Tom. II. pag. 125. (2) Pag. 49. n. 7.

Quemadmodum vero Athenis victori, qui in Panathenaeis Feſtis, ac Certaminibus palmam retulerat, amphora diota oleo plena conce li conſueverat; iſque mos ab antiquiſſimis quoque Solonis temporibus inſtitutus ad ſequiora etiam tempora manavit, ut ex Archontum nominibus, ac monimentis illis apparet; ita quoque in Ludis aliis amphora, aut vas vino plenum concedebatur. Certe in Antheſteriis Athenienſium Feſtis certamina plura committebantur, atque inter illa de bibacitate quoque ita certari conſueverat, ut ille victor renunciari, atque utre vini pleno donari ſoleret, qui bibendo ceteros ſuperaſſet, maioremque vini copiam ingurgitaſſet (1). Itaque ſuſpicor hoc ipſum Certaminis, ac praemii genus a Mithridate Eupatore in Gymnaſio inſtitutum fuiſſe; adeoque Vas illud, cuius epigraphem illuſtrandam ſuſcepi, vino plenum victori deſtinatum fuiſſe. Id ipſa Regis indoles, mores, atque inſtituta declarant, quae in Plutarcho (2) pulcherrime deſcripta inveni, & ut illuſtrem, proinde ipſius locum hic proferendum putaverim: Μιθριδάτην δὲ τὸν πολεμήσαντα Ῥωμαίοις, ἐν τοῖς ἀγῶσιν οὓς ἐπέτελει, ϗ πολυφαγίας ἆθλα θεῖναι, ϗ πυλυποσίας φασί. νικῆσαι δὲ αὐτὸν ἀμφότερα, ϗ ὅλως πιεῖν πλεῖςον τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπων, διὸ ϗ Διόνυσον ἐπικληθῆναι. *Mithridatem porro, qui Romanis bellum fecit, in certaminibus, quae inſtituit, aiunt etiam praemium propoſuiſſe ei, qui plurimum ediſſet; & ei, qui bibiſſet plurimum: ipſumque utriuſque rei victoriam conſecutum eſſe. Omnino autem plus ſolitum bibere*

(1) Aelian. Var. Hiſtor. Lib. X. c. 14. (2) Sympoſ. Libr. I. Quaeſt. 6.

bere, quam quiſquam ea aetate hominum; indeque eum Dionyſii, quod eſt Bacchi, cognomentum reportaſſe. Quamvis autem Plutarchus ipſe mox ſubdat aliam quoque nominis huius originem circumferri; compertum eſt tamen, ut ex Appiano iam vidimus, Mithridatem non *Eupatoris* ſolum, ſed etiam *Dionyſii* nomine vocatum fuiſſe; quemadmodum Cicero (1) Mithridatem ipſum *Evium, Dionyſium, Bacchum, Liberum* a Graecis appellatum eſſe teſtatur. Itaque, ſi in certaminibus, quae Rex Mithridates inſtituit, bibendi quoque certamen habebatur, Rexque ipſe hoc certaminis genere non delectari modo, ſed etiam excellere, atque in illo palmam referre conſueverat; nihil certe veriſimilius hic afferi vel coniici poterit, quam aereum Lebetem vino plenum victori concedi conſueviſſe; adeoque in Vaſis epigraphe non modo *Regis*, ac *Gymnaſii* nomen expreſſum fuiſſe, quemadmodum prorſus *Archontis* Eponymi, & *Gymnaſii*, ſive Ludorum nomen Athenis exprimebatur; ſed voces etiam quaſdam adiectas fuiſſe, quibus conceſſi vini bonitas, aut praemii dignitas indicaretur. Si id ego rite coniecerim, poſtremae voces illae, quae a ceteris tum praecedentibus, tum pone ſequentibus ſeiunctae ſunt, ipſiſque haerere, ſive coniungi non poſſunt, non aliud, quam vini laudem, vel effatum aliquod continent, quo, veluti teſſera, Vas illud ornari, ac pretioſum vinum decorari conſueverat; adeoque legi poterit CΥΦΑΡ ΔΙΑΣΩΖЄ *ſenectutem conſerva*, ſive CΥΦΑΡ ΔΙΑΣΩΖЄΙ *ſenectutem conſervat*: ut nempe exprimatur vinum quodlibet, aut illud certe potentius, ac pretioſius, quod in aereo hoc Vaſe victori a bi-

(1) Orat. pro Flacco c. 25.

a bibaciſſimo, *Dionyſo* Rege concedebatur, vires; adeoque vitam, & ſenectutem conſervare, tuerique poſſe. Liberius hoc certe conjecturae genus expoſui, tum quod concinnior alia ac veriſimilior interpretatio mihi nondum affulſerit; tum etiam quod haec ab ipſo Ludorum, praemiorumque genere, praeſertim vero a Mithridatis moribus, atque inſtitutis non omnino abhorrere videtur. Ceterum, quacumque demum ratione tum poſtremas, tum priores etiam Inſcriptionis voces acutiores alii legendas aut explicandas exiſtiment, illud poſtremo facile conſtitui poterit, quod ubi Eupatoria, Talaura, ceteraeque Ponti Vrbes a Pompeii militibus direptae fuerant, atque immenſa in illis Vaſorum copia reperta fuit, ut Appianus, aliique teſtantur; Vas etiam iſtud aut Pompeio, aut potius militi cuidam in praedam ceſſit: quumque Ponticae exuviae Romam deferrentur, Vas iſtud in portu apud Antium vel delapſum, vel relictum, vel Roma Antium delatum fuit; ut proinde nuper apud Antium effoſſum in lucem prodierit, non modo ut Capitolium celeberrimi Regis Monimento ornare, ſed etiam eruditis Viris ingenii exercendi materiem praebere poſſet. Id vero facilius, atque pro rei dignitate a doctiſſimis Viris illis praeſtari profecto poterit, quos Romana Vrbs bonarum artium altrix florentiſſima ſinu ſuo complectitur; non modo quod optimi, ac beneficentiſſimi Principis auſpicio eximia prorſus atque incredibili eruditae Antiquitatis cognitione excellere videantur; verum etiam quod Lebetem ipſum inſpicere, ſingulos literarum ductus, & apices explorare poſſint; ex quibus facile in explicanda epigraphe novus aliquis ſplen-

ſplendor, atque praeſidium oriatur. Nec ullus profecto ego verear quin vera demum atque accurata Inſcriptionis huius interpretatio Eruditis omnibus affulgere probarique debeat, ſi Tibi CLARISSIME VICTORI, ad eiuſmodi argumenti genus divertere fortaſſe libeat. Quis enim ignoret Te in obſcurioribus etiam eruditae Antiquitatis Monimentis rite exponendis extricandiſque mirifice commendari; nullumque vel ſacri, vel profani monimenti genus occurrere, quod acri ſtudio miraque eruditionis copia non illuſtraveris? Hinc tua haec, VICTORI CLARISSIME, veraque laus, quam paucis ſane contigiſſe conſpicimus, ut cum avita generis tui gloria ſapientiam quoque a Maioribus tuis immortalis famae Viris veluti hereditarium munus acceperis, eamque mire augere ſatagas; quumque Muſeum Gemmis, ſignis, nummis refertiſſimum habeas, noviſque in dies cimeliis cumulatiſſime exornes; eiuſmodi quoque eruditae Antiquitatis monimentis rite explicandis illuſtrandiſque nulli concedas. Quae quidem praeſtantiſſima doctrinae, politioriſque literaturae ornamenta eo cariora nobis, ac illuſtriora eſſe debeat, quod cum incredibili morum ſuavitate, candore, modeſtia, in promovendis artibus ſtudio, egregiis demum animi dotibus coniuncta ſint, quibus Eruditorum omnium amorem Tibi merito peperiſti. Itaque, ſi hac ipſa comitate, qua ceteros ingenii conatus, homineſque liberalibus ſtudiis deditos complecti ſoles, tenuem hanc ſtudiorum meorum partem, quod enixe a Te peto, perhumaniter exceperis, unamque in Te voluntatem probaveris, erit certe cur mihi gratuler, quod ab aequiſſimo iudice haec probari, laudatiſſimoque Viro laudari fortaſſe poſſint.

DIS-

DISSERTATIO II.
DE NATALI DIE PLATONIS

EIVS AETATE ET IN ITALIAM ITINERIBVS

AD VIRVM CLARISSIMVM

IO. BAPT. PASSERIVM

I. C. ET VICARIVM PISAVRENSEM

PRaeſtantibus ingenio, ac doctrina viris, qui praeclare de literis, omnique bonarum Artium genere meriti fuerint, non modo perennem ac immortalem nominis gloriam, veluti laborum virtutiſque praemium concedi; ſed hunc etiam honorem a poſteris haberi conſueviſſe conſpicimus, ut ipſorum hiſtoria longe ſubtilius atque accuratius exploretur, iique temporum characteres atque diſcrimina, quae in hiſtoriis aliis aut negligi, aut diſſimulari facile poſſent, acriori quodam ſtudio e tenebris eruta in lucem proferantur. Itaque mirari plane non poſſumus ſi Laërtius, Philoſtratus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Heſychius, Illuſtrius, Cicero, aliique plures, ut Eudemum Neanthem, Apollodorum, ceteroſque innumeros taceam, quorum opera temporis iniuria exciderunt, tum Sophiſtarum, tum Rhetorum, tum Philoſophorum, tum aliorum quoque Sapientum hiſtoriam ſubtiliter adeo ſint proſequuti, ut natales ipſorum annos, itinerum, mortiſ-

tiſque tempora clarioribus, quibus licuit, characteribus deſignarent. Optime nimirum noverant, idque ipſorum animis alte inſederat, memorem gratumque animum erga praeſtantiſſimos Heroas illos, qui ſapientiae, puriorisque doctrinae facem extulerunt, hoc etiam officii ſtudiique genere demonſtrari; ſi res ab iis praeclare geſtae, vitaeque inter homines ab illis peractae caſus ſuis accurate temporibus perſpicua certaque ſerie adſcriberentur. Quod ſi diligens illa temporum inveſtigatio in Philoſophorum omnium, Sapientumque aetate ſubtiliter exploranda adhiberi merito ſolet; dubitari certe non poterit, quin illa maximo optimoque iure in inveſtiganda Platonis aetate collocari debuerit. Etenim ſive avitam regii generis nobilitatem, ſive doctrinarum gloriam, ſive perennem Scholae ſucceſſionem, quae illuſtres etiam Chriſtianae Doctrinae Principes complectitur, ſive nominis celebritatem conſideres, Philoſophus ille ita ceteros Sapientes omnes excellere videbatur, ut *veritatis arcanum*, & *quaſi quidam Deus Philoſophorum* appellari meruerit. Ac plurimi quidem ex veteribus, & recentioribus etiam Hiſtoricis in definienda tanti viri aetate ſubtiliter, ingenioſeque operam contulerunt; ut fortaſſe reprehendi poſſe ego videar, qui de Sparta hac ab aliis adornata cogitaverim; idque operis a Scaligero, Sigonio, Gudio, Menagio, Dodvello iampridem ſuſcepti ad incudem iterum revocaverim. At neque immerito, neque temere prorſus id conſilii me ſuſcepiſſe ingenuus, opinor, honeſtuſque Lector intelliget; qui tum in veteribus, tum in recentioribus etiam Hiſtoricis miras hic aliquando ambages invenerit; quumque illorum hypotheſes aut mirifice diſſidere, aut fluxis

C xis

xis & ambiguis Scriptorum teſtimoniis inniti viderit, haerere profecto debeat, incertuſque fore quaenam alteri palmam praeripere, ceteriſque veriſimilior eſſe videatur. Huc etiam accedit quod obſcuram hactenus & incompertam Platonis aetatem perſpicuis certiſque characteribus ſic a me definitam eſſe putavi; ut ſimul etiam Archytae, Philolai, Iſocratis, Lyſiae, Dionis, Socratis, aliorumque plurium aetas, natales propemodum, aut ſupremi dies hactenus ignorati nitida quadam temporum comparatione deducerentur; obſcura quaedam, & hiulca Scriptorum loca, quae Interpretum diligentiam effugerant, opportune corrigi, ſuppleri, vel illuſtrari poſſent; eximia demum Chronologiae capita accuratiori calculo rite diſpoſita tum Romanorum, tum Graecorum Faſtis inſcriberentur. An vero feliciter id ipſe praeſtiterim, Tute omnium maxime intelligere profecto poteris, Praestantissime Passeri, quippe qui eximia prorſus ſapientiae, ac eruditionis gloria merito commenderis. Quod enim reconditae penitioriſque doctrinae genus, quod Hiſtoriae, & Chronologiae caput, quod Aegyptiae, Etruſcae, Graecae, Latinaeque Antiquitatis monimentum, quae denique politioris Literaturae pars eſſe poterit, quam ipſe beata quadam ingenii alacritate, ac eruditionis copia non exploraveris, novaque luce perfuderis? Perſpicua ſane atque immortalia ſunt doctrinae huius tuae monimenta, egregia Opera, quibus *Romanorum Fictiles Lucernas*, quarum ingenti numero Muſeum tuum locupletaſti, quaſque perenni dono in publicum Muſeum ad aeternam tui nominis gloriam intuliſti, mira felicitate explicaſti; ut illa proinde ſummo Eruditorum omnium plauſu ce-

celebrari conſueverint. Itaque & eximius hic ardor, quo eruditae Antiquitatis ſtudia ornare nunc etiam pergis, & humanitas illa, qua me complecteris, impulere, ut exiguum aliquod obſervantiae in Te meae ſpecimen exſtare cupiens Diſſertationem hanc, qua veram Platonis aetatem, verumque tempus inquiro, quo divinus ille Philoſophus Tarentum, atque Siciliam inviſit, auſpicio tuo decorarem, Tuoque nomini conſecratam proferrem: optimo nimirum maximoque iure confidens, ut, ſi Platonis nomen, Graecae Romanaeque Hiſtoriae dignitatem, adeoque laboris huius mei argumentum, praeſertim vero voluntatem hanc in Te meam ſpectaveris, illa Tibi neque iniucunda, neque a ſtudiis tuis aliena videatur.

II. Atque, ut in ipſo veluti limine ſententias illas hic proferam, quae de Platonis aetate tum a veteribus, tum a recentioribus etiam Scriptoribus traditae ſunt, quum in definiendo mortis anno mire conſpirent; in ſubducendo tamen annorum calculo, quos ille in vivis exegerit, ſimulque in nativitatis anno rite aſſignando Chronologi iam inde a Laërtii temporibus diſſidebant. Etenim ille utramque Apollodori, ac Neanthis ſententiam ita nobis expreſſit (1): *γίνεται Πλάτων (ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς) ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ· καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. τελευτᾷ δ', ὥς φησὶν Ἕρμιππος, ἐν γάμοις δειπνῶν, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, βιοὺς ἔτος ἓν πρὸς τοῖς ὀγδοήκοντα. Νεάνθης δέ φησιν αὐτὸν τεττάρων καὶ ὀνδοήκοντα τελευτῆ-*

(1) Lib. III. ſeg. 2. & 3.

τῆσαι ἐτῶν. ἔστιν οὖν Ἰσοκράτους νεώτερος ἔτεσιν ἕξ. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ Λυσιμάχου, Πλάτων δὲ ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν, ἐφ᾽ οὗ Περικλῆς ἐτελεύτεσεν *Naſcitur Plato, ut Apollodorus teſtatur in Chronicis, octogeſima octava Olympiade, Thargelionis ſeptima, qua die natum Apollinem Delii autumant. Moritur autem, ut Hermippus tradit, primo anno centeſimae octavae Olympiadis, in nuptiis diſcumbens, octogeſimum & primum aetatis agens annum. Neanthes octoginta quatuor annos natum defeciſſe ſcribit. Eſt igitur Iſocrate minor natu annis ſex. Ille quippe ſub Lyſimacho; Plato ſub Aminia natus eſt, ſub quo & Pericles diem obiit.* Athenaeus (1) tamen ab utroque recedit, atque Platonem non *Aminiae* Archontis anno, hoc eſt 4. Olymp. 87. ſed praecedenti 3. hoc eſt *Apollodori* Archontis anno natum aſſerit; adeoque 82. aetatis annos illi concedit: Πλάτων δὲ γεννᾶται ἐπὶ Ἀπολλοδώρου τοῦ μετ᾽ Εὐθύδημον ἄρξαντος. δύο δὲ καὶ ὀγδοήκοντα βιώσας ἔτη μετήλλαξεν ἐπὶ Θεοφίλου τοῦ μετὰ Καλλίμαχον, ὅς ἐστιν ὀγδοηκοστὸς, καὶ δεύτερος *Plato ſub Apollodoro genitus Euthydemi ſucceſſore, vita ad annum octogeſimum ſecundum producta, obiit ſub Theophilo, qui rempublicam poſt Callimachum rexit, & ab Apollodoro octogeſimus ſecundus Praetor numeratur.* Itaque, quum Athenaeus ab Apollodoro, & Neanthe; Neanthes ipſe ab Apollodoro; denique Laërtius ab utroque diffideat, mirari certe non poſſumus ſi recentiores etiam in definiendo Platonis ortu varias in partes abierint, variaſque hypotheſes ſubtiliter illi quidem, ingenioſeque excogitaverint, quibus varia Scriptorum teſtimonia ſimul componi, vel conciliari poſſe viderentur. Ita Scali-

(1) Lib. V. c. 18.

liger (1) Apollodorum ſequutus, ipſius nativitatem in anno 1. Ol. 88. collocavit; Sigonius (2), quum anno 4. Ol. 87. *Ameinonis*, ſive *Epaminondae*, atque anno ſolum 2. Olymp. 89. *Aminiae* nomen in Faſtis Atticis obſervaſſet, Platonis ortum in annum hunc temere revocavit; quemadmodum prorſus in Alexandrino Chronico nativitas illa in anno 1. Olymp. 89. atque in Euſebii Chronico anno 4. Olymp. 88. collocatur. Meurſius vero (3) in contexenda Archontum Athenienſium ſerie varias quidem Scriptorum opiniones expreſſit; ſed Athenaei tamen ſententiam ceteris praeferre videtur. Aldobrandinus Laërtii interpres obſervavit Laërtium perſpicue falli, quod Platonem & Aminia Athenis Archonte, & Olymp. 88. anno 1. natum dixerit; quum Aminias ille non 88 ſed 89. Olymp. annoque ipſius 2. imperaverit. *Poſſumus tamen*, inquit, *Laërtium facile falſitatis crimine liberare: quippe qui Platonem* 88. *Olympiade natum dixerit*, *Apollodorum ſecutus; idem Amenia Archonte eundem natum eſſe tradiderit*, *Neanthe auctore*, *qui*, *cum Platonem* 84. *natum annos mortuum eſſe ſcribat*, *facit ut ortus recte ſub Ameniam Archontem cadere poſſe videatur*. *Apollodorus autem Archon ſex annis Ameniam Archontem aetate antecedit*. Quo certe loco Aldobrandinus ipſe mire decipitur; tantumque abeſt ut diſſidium illud componat, quod ipſe ſibi potius perſpicue certoque repugnat. Menagius vero, Marquardo Gudio facem praeferente, Neanthis opinionem ceteris anteferendam eſſe arbitratur; quumque Scriptores omnes Platonem anno 1. Ol. 108. obiiſſe dixerint,

C 3

(1) Ad Chr. Euſeb. n. 1592. (2) De Athen. Tempor.
(3) De Archont. Athen. Lib. III. c. 3.

rint, ipſius ortum in annum 2. Olymp. 87. collocandum eſſe decernit. *Namque annum illum*, inquit, *quem ille deſignat, ſumma mihi ratione videor alibi deprehendere. Plutarchus, & Laërtius Platonem docent natum eſſe 6. annis poſt Iſocratem; atqui Iſocrates natus eſt Olymp. ſupra octogeſimam ſextae anno 1. quod abſque ulla dubitatione demonſtrari poteſt ex Plutarcho, & Dionyſio; conſit ergo, quod Neanthes voluit*, Platonem 2. *anno Olymp.* 87. *tanquam caelo delapſum in terras ad aetatis uſque* 4. *&* 80. *hominibus interfuiſſe*. Itaque Menagius hic aſſerit Apollodorum Ciceroni, Valerio Maximo, Senecae, Quintiliano, Cenſorino, Hieronymo, ceteriſque omnibus impoſuiſſe, qui 81. aetatis annos Platoni conceſſere. Denique Dodvellus (1), qui in Chronologicis hiſce ſtudiis reliquos omnes longiſſime ſuperavit, Senecae veſtigiis inſiſtens Platonem anno 1. Olymp. 108. eodem ipſo natali die, quo in lucem prodierat, obiiſſe dicit; ut proinde illi vel 81. vel 82. aetatis anni concedi poſſint. Hinc ille Platonem natum aſſerit anno 4. Olymp. 87. quo *Aminias* Archon erat; ſed, quum ſeptima Thargelionis die, hoc eſt exeunte fere Archontis anno, lucem adſpexerit, facile Apollodorum hinc anſam arripuiſſe arbitratur Dodvellus, ut ipſius ortum anno 1. Ol. 88. mox incepturae conceſſerit; ſicuti viciſſim alii ad ſuperiorem *Apollodori* Archontis annum hoc eſt 3. Ol. 87. revocarunt. *Hinc ergo*, inquit, *ſi rem acu tetigimus, natuſque fuerit Plato Thargelione illo, qui Archonte erat Aminia, verior erit ſententia illa, quae ſeptennio iuniorem Iſocrate facit Platonem*: quod nitide diſerteque a Plu-

(1) De Cyclis Diſſert. X. ſect. 80. pag. 609.

Plutarcho memoratur ubi Iſocratem, Lyſimacho Archonte, hoc eſt anno 1. Ol. 86. natum eſſe teſtatur; atque, ut Dionyſius ait, *quinto anno* ante Bellum Peloponneſiacum, quod anno 1. Ol. 87. exarſit, nimirum *accenſito, ut ſolet ille, utroque extremo*. Quandoquidem vero Plutarchus ipſe mox ait Iſocratem 22. annis Lyſia iuniorem fuiſſe, quem Philoclis Archontis anno, hoc eſt Olymp. 80. 2. in lucem prodiiſſe dixerat, Dodvellus ingenue fatetur, quod difficilius eſt *rationem reddere quomodo Iſocrates iunior ſit* 22. *annis Lyſia, qui natus erat ſub* Philocle anno 2. Olymp. 80. *Vtrobique intervallum* 22. *annorum non aliter eſt, quam reiectis ambobus extremis. Siccine ergo intelligendi ſunt? id neceſſario hic admittendum exiſtimo*. Qui varias eiuſmodi eruditorum hominum ſententias comparaverit, facile profecto intelliget tum in exponendis, tum in conciliandis, tum in illuſtrandis etiam corrigendiſque Veterum ſententiis ipſos ita diſſidere, ut verus ille natalis Platonis annus adhuc obſcurus, & incompertus merito exiſtimetur; quem ego tamen facile perſpicuis certiſque characteribus conſtitui, ac definiri poſſe puraverim; ſi tamen certa ab incertis accuratiſſime ſecernantur, ac errores illi, qui doctiſſimis aliquando Viris fraudi fuerant, antea refellantur.

III. Atque, ut ab iis, quae certa ac explorata fuerint, exordiar, Platonis mortem in Theophili Archontis annum, hoc eſt 1. Olymp. 108. incidiſſe perſpicuum adeo certumque eſſe debet, ut nihil propemodum in Hiſtoria certius admitti poſſe videatur. Olympiadem, ac Olympiadis annum expreſſit Plutarchus (1), Laërtius (2), & apud

 Laër-

(1) Vita X. Rhet. in Demoſth. (2) Lib. V. ſeg. 1.

Laërtium (1) Hermippus; atque Olympiadis annus, ſimulque Archontis nomen apud Laërtium ipſum alibi (2) occurrit. Vtrumque nitide diſerteque expreſſit Dionyſius (3). Solum Archontis nomen, eiuſque ſitum Dionyſius (4), Athenaeus (5) indicarunt; & quamvis etiam haec illuſtria Scriptorum teſtimonia deeſſent, facile hic mortis annus ex Speuſippi morte, ex Ariſtotelis hiſtoria, ex Epicuri nativitate, aliiſque pluribus certiſſime deduci poſſet. Eadem quoque perſpicuitas, atque conſtantia in definiendo mortis die futura videretur, quum plerique Scriptores omnes, qui diem illum ſubtilius explorarunt, aut illuſtrius, aut obſcurius Platonis mortem eodem ipſo natali die, hoc eſt 7. Thargelionis Attici, contigiſſe memorent, quo lucem adſpexerat. Ita Cicero (6) ait: *Plato uno & octogeſimo anno ſcribens eſt mortuus;* idemque ex Cicerone dixit Hieronymus (7). Cenſorinus (8) *in anno octogeſimo & uno Plato finem vitae & legitimum eſſe exiſtimavit, & habuit legitimum.* Denique Seneca (9) *Hoc ſcis, puto, Platoni diligentiae ſuae beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſit, & annum unum atque octogeſimum implevit ſine ulla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto; amplioris fuiſſe ſortis quam humanae rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.* Itaque Scriptores omnes, ut antea vidimus, teſtimoniis iſtis abrepti, non modo Platonem unum ac octoginta aetatis annos abſolviſſe dicunt; verum etiam hinc facile componi poſſe arbitrantur

(1) Lib. III. ſeg. (2) Lib. IV. ſeg. 9. (3) Epiſt. ad Ammae. (4) Epiſt. ad Ammaeam. (5) Lib. V. c. 18. (6) De Senect. c. 5. (7) Epiſt. ad Nepotian. (8) De die Nat. c. 15. (9) Epiſt. 58.

tur, quod Philoſophus ille 82. annos vixiſſe a Scriptoribus aliis aſſeratur; quod nimirum *natali* die mortuus, eodem ipſo 7. Thargelionis Attici die octogeſimum primum aetatis annum abſolveret, atque ſecundum inciperet. At ego Senecam, aut certe hariolum, qui Senecae impoſuit, in definiendo mortis die deceptum eſſe deprehendi; erroremque illum, qui Senecae fraudi fuit, moxque neſcio quo fato in ceteros Scriptores omnes manavit, non aliunde, quam ex leviſſima Platonici cuiuſdam coniectura falſoque ratiocinio, profluxiſſe puto; qui, ut novum hoc praeceptori decus adderet, ipſum *natali* die deceſſiſſe coniecit. At fieri fortaſſe etiam poteſt, ut ideo a Scriptore quodam Platonem natali ſuo, vel natali die deceſſiſſe proditum ſit, quod ille *ſeptimo* menſis die a vivis exceſſerit; quae *ſeptima* menſis dies, quamvis non *Thargelionis*, ſed alterius etiam menſis foret, ipſi tamen *natalis* aliqua ratione cenſeretur. Ita, quum Apollo *ſeptimo* Thargelionis die in lucem editus foret, *ſeptimus* cuiuslibet menſis dies ipſi ſacer, ac veluti *natalis* habebatur, idemque Apollo *ἑβδομογένης ſeptimo die natus* appellari conſueverat. Sic, ut e ſacris etiam, Chriſtianiſque monimentis exemplum aliquod afferatur, ille *natali ſuo* deceſſiſſe dicebatur, qui eadem ipſa hebdomadae, vel menſis die, quo lucem adſpexerat, obiiſſet. Ita in Gruteri (1) Marmore legitur: PRINCIPALIS, QVI VIXIT ANNIS XLV. MENSIS II. DEPOSITVS NATALE SVO IVSTINA BENEMERENTI CESQVET IN PACE. Itaque, ſicuti *natalis* ille dies, quo Principalis hic obiit, ſive depoſitus eſt, vere *natalis* eſſe non poterat, ſed alio ſolum ſenſu, quicumque ille fuerit,

(1) Pag. 1057. n. 9. Claſs. XX. n. 154.

rit, *natalis* cenſebatur; ita dies ille, quo Plato obiit, ideo *natalis* vocari fortaſſe potuit, quod ſeptimus dies menſis foret; a poſteris vero Scriptoribus, qui ſubtiliorem hanc, inſuetamque vocis ſignificationem non obſervaverint, vere *natalis* cenſeretur, adeoque illi Platonem octoginta ac unum annos integros abſolviſſe putarunt. Quocumque tamen ex fonte error ille prodierit, Platonis obitum in diem, qui ipſi vere *natalis* fuerat, hoc eſt 7. Thargelionis Attici, incidiſſe omnino falſum, ac abſurdum eſſe putaverim. Etenim ut hinc exordiar, nemo ex veteribus, qui Platonis genus ac vitam, minutiores etiam mortis circumſtantias expreſſere, nobiliorem hanc longeque miram de natali ſimulque ſupremo ipſius die memorarunt. Hermippus illum in nuptiis diſcumbentem, alii ſcribentem obiiſſe dicunt; plerique ſeptimam Thargelionis Attici diem ipſi natalem illuxiſſe dicunt; at nemo tamen hanc ipſam diem illi ſupremam fuiſſe notat: quod ab iis tamen omitti, vel reticeri vix poterat, ubi praeſertim Magorum indicio, ſi Senecae fides, caſus ille in maximam Platonis gloriam cedere putaretur. Neque ſolum Platonicae hiſtoriae Scriptoribus mirus ille natalis ac ſupremi diei concurſus ignotus indictuſque fuit; ſed iis etiam, qui rariora id genus exempla accuratiſſime collegerunt. Certe Plutarchus (1) tum Graecae, tum Philoſophicae imprimis hiſtoriae peritiſſimus, quum miras eiuſmodi temporis circumſtantias recenſere vellet, obſervavit Socratem 6. Platonem 7. eiuſdem Thargelionis menſis die natos eſſe; Euripidem eodem ipſo die natum, quo Salaminia pugna contigerat, eoque e vivis exceſſiſſe, quo Dio-

(1) Sympoſ. Lib. VIII. qu. 1.

Dionyſius Siciliae Tyrannus in lucem venit. Alexandri Macedonis, Diogeniſque mortem una eademque die contigiſſe teſtatur. Regem Attalum natali die obiiſſe dicit; quod de Pompeio quoque a pluribus affirmatum ait, quum alii tamen pridie ſolum eius diei Pompeium interiiſſe dixerint. Itaque, ſi Plutarchus eodem ipſo in loco, quo varia id genus, & obſcuriora exempla proſequitur, atque ubi ipſius etiam Platonis, eiuſque nativitatis meminit, nihil tamen de natali ſimulque ſupremo ipſius die memoravit; adeoque Platonem Attalo, Pompeioque non adiunxit; quis aperte non videat opinionem illam aut Graecis incognitam, aut fortaſſe a Plutarcho tacite improbatam fuiſſe, qua Plato Attali Regis inſtar *natali* ſuo defunctus ferebatur? Ita propemodum Aelianus (1), qui Alexandri Macedonis mortem in eumdem ipſum diem, qui natalis illi fuerat, ab aliquibus poni teſtatur, 7. Thargelionis diem Attici natalem quidem Platoni fuiſſe dicit, ſed emortualem ſimul ipſi fuiſſe diſſimulat. At, ne ſolo Scriptorum ſilentio hic a Seneca ceteriſque Scriptoribus omnibus diffidere ego videar, perſpicua Scriptorum teſtimonia ſubiiceiſſe nunc libet, quibus aperte oſtendatur Platonis mortem ante Thargelionem menſem anni 1. Olymp. 108. adeoque ante natalem ipſius diem, contigiſſe. Graviſſimus auctor Cicero (2) teſtatur, quod *Atticus omnem rerum memoriam breviter, & perdiligenter complexus eſt*; ipſumque (3) *rerum Romanarum auctorem religioſiſſimum* appellavit; ſeque ab eodem Attico inflammatum ait (4) *ſtudio illuſtrium hominum aetates, & tempora perſequendi*: ut proinde

(1) Var. Hiſt. Lib. II. c. 25. (2) Bruto c. 3. (3) Ibi c. 11. (4) Ibi c. 19.

de quidquid a Cicerone de Platonis, aliorumque aetate notatum conſpicitur, ex accuratiſſimis Attici obſervationibus hauſtum videatur. Itaque Cicero emortualem Platonis annum definire volens, aſſerit illum *M. Camillo, & Appio Craſſo Conſulibus* obiiſſe, ut ex ipſius loco opportune mox afferendo conſtabit. Conſules illi a Gellio (1) nitide diſerteque tribuuntur anno V. C. 405. in Epocha nimirum Varroniana, ut inferius oſtendetur. Quamvis enim Gellius alicubi Polybianam Aeram ſequatur; alibi tamen, ut accuratiſſime obſervavit Dodvellus (2), Varronianam Epocham uſurpavit. Haec ipſa quoque Varronis Epocha a Cicerone laudato loco perſpicue adhibetur. Quamvis enim ille Catonianam Aeram alicubi uſurpaverit, in qua Conſules illi anno V. C. 403. adſcribuntur, in hoc ipſo tamen Libro *de Senectute* non aliam, quam Varronianam, amplectitur. Etenim dicit (3) Livium fabulam docuiſſe *Cethego, & Tuditano Coſs.* quemadmodum in Bruto (4) dixerat: *Livius primus fabulam C. Clodio Caepione filio, & M. Tuditano Conſulibus docuit, anno poſt Romam conditam quartodecimo, & quingenteſimo, ut Atticus ait, quem nos ſequimur; eſt enim inter Scriptores de numero annorum controverſia.* Itaque, ſicuti hic Atticus, adeoque Cicero, Varronianam Aeram amplectitur, in qua ſola Conſules illi anno ab V. C. 514. conveniunt; ita quoque Conſules illi, quibus Platonem obiiſſe dicit, ad Varronianam Epocham, adeoque ad annum V. C. 405. referri debent. Sed annus ille Varronianus 405. ita certiſſime cum Olympicis annis committi debet, ut ille par-

(1) Lib. IX. c. 11. (2) Diſſert. X. pag. 631. (3) Cap. 14. (4) Cap. 18.

partim 3. exeunti, partim 4. ineunti Olymp. 107. coniungatur; ut proinde Conſules illi, quum pro recepto temporum illorum more (1) Kalendis Quinctilibus, adeoque ex Dodvelli calculo 20. Scirrophorionis Attici die, hoc eſt exeunte iam 3. Olympiadis anno magiſtratum ingreſſi fuerint, ipſorum Conſulatus integer fere cum 4. Olympiadis anno concurreret *, atque ad ſequentes Quintiles Kalendas extenderetur. Ergo, ſi Plato *M. Camillo*, *&* *Appio Claudio* Conſulibus e vivis exceſſit, ipſius mors intra Quintilem menſem anni V. C. 406. protrahi non poteſt, quo Conſules ipſi iam Conſulatu exceſſerant; poſtquam ipſis adhuc conſulatu fungentibus 30. Iunii die ex accuratiſſimis Dodvelli Tabulis Hecatombaeon Atticus, adeoque primus Ol. 108. annus inceperat, ideoque iam Theophilus Athenis Archon electus erat. Itaque, ſi Plato 1. Olymp. 108. anno *Theophilo* Athenis Archonte, ſimulque *M. Camillo*, *&* *Appio Claudio* Conſulibus obiit, ipſius mors ineunti ſolum Quintili Romano, Atticoque Hecatombaeoni certiſſime adſcribi debet; & quamvis etiam Conſularis annus non a ſuſcepti magiſtratus initio ad finem, ſive a Palilibus ad Palilia, ſed ad extremum uſque Decembris diem, quod Ciceronis aetate obtinuerat, extendatur, ſemper tamen Platonis obitus ante Thargelionem menſem anni 1. Ol. 108. contigiſſe debuit, hoc eſt ipſius mors Thargelioni menſi anni 1. Ol. 108. cum

(1) Dodvellus Diſſert. X. pag. 618.

* Romani Annaliſtae quum Graecorum Annales cum ſuis patriis Annalibus committunt, illorum Archontum annos cum ſuis Coſſ. nectunt, qui Coſſ. ſuis iam in officio conſtitutis apud ipſos inierint Athenienſes; & viceverſa Graecorum Annaliſtae Conſulum illorum geſta ſub ſuis Archontibus recenſent, qui ſuorum Archontum Magiſtratu Romae Conſulatum ſuſceperint. Dodvelius pag. 879.

cum Seneca adſcribi non poterit; alioquin ille ad annum V. C. 406. ſpectaret, quo *M. Popilius Laenas*, & *M. Valerius Corvus* in Conſulum Faſtis occurrunt. Hoc ipſum mortis tempus ex. pulcherrimo ac illuſtri Laërtii (2) loco deprehendiſſe videor, ubi de Epicuri nativitate ille diſſerit. Etenim ait: *ἐγεννήθη δὲ (Φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς) κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἐννάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Σωσιγένους ἄρχοντος, μηνὸς Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ, ἔτεσιν ὕστερον τῆς Πλάτωνος τελευτῆς ἑπτά*. *Naſcitur autem, inquit Apollodorus in Chronicis, centeſimae nonae Olympiadis anno tertio, Soſigene Archonte, menſis Gamelionis die ſeptimo, ſeptem annis poſt Platonis obitum*. Itaque a Platonis obitu ad 7. Gamelionis Attici diem anni 3. Ol. 109. ſex ſaltem integri anni interceſſerant, adeoque Plato 7. Gamelionis die anno 1. Olymp. 108. iam e vivis exceſſerat. Sin vero Plato ex Senecae hypotheſi ad 7. Thargelionis ſequentis, hoc eſt ad *natalem* ipſius diem, perveniſſet, a Platonis obitu ad Epicuri nativitatem nonniſi anni *quinque* decemque menſes fluxiſſent, quod ab Apollodori, ſive Laërtii mente manifeſtiſſime abhorret. Ergo Platonis mors ad aliquem ex prioribus ſex Olympici anni menſibus referri debet; quod ex perſpicuis etiam Romanorum Faſtis, ſive Conſulum nominibus inferendum eſſe iam docui.

IV. Iam vero mortis tempore ſic conſtituto facile, opinor, eſt futurum veram quoque Platonis ipſius aetatem, vel ortus annum conſtituere; adeoque Neanthis, aliorumque ſententias refel-

(1) Lib. X. ſeg 14.

fellere. Itaque in Neanthis quidem hypotheſi, qua 84. annos vixiſſe ille dicitur, ſi anni *completi* fuerint, ipſius nativitas in annum 4. Olymp. 86. ſin vero affecti ſolum, vel *incboati* dicantur, in annum 1. Olymp. 87. incidiſſet. Vtrumque tamen a perſpicuis certiſque Laërtii, Plutarchi, & Dionyſii teſtimoniis abhorret. Etenim, ut antea vidimus, Iſocrates 6. annis ex Laërtio, ex Plutarcho vero 7. annis antiquior Platone fuit; adeoque Iſocratis ortus *quinque* ſaltem integris annis Platonis ortum praeceſſiſſet, eiuſque nativitas in annum 3. aut 4. Oymp. 85. incidiſſet, quum tamen ille & Lyſimachi Archontis anno, & anno 1. Ol. 86. ſimulque anno *quinto* ante Peloponneſiacum bellum editus ſit, quod exeunte iam anno 1. Ol. 87. erupit. Sed, ut haec Iſocratis aetas ſubtilius definiatur, ſimulque varia Scriptorum loca temere ab Interpretibus expoſita ac emendata illuſtrentur, obſervaſſe iuverit Iſocratis mortem proxime poſt Chaeronenſem Athenienſium cladem contigiſſe. Itaque, quum clades illa in 7. Metagitnionis Attici diem anno 3. Ol. 110. inciderit, ut in Faſtis Atticis (1) demonſtravi, Iſocratis mors ad 11. vel 16. menſis ipſius diem referri debet. Iſocrates autem ipſe nono ac nonageſimo aetatis anno e vivis exceſſit. Etenim Cicero diſerte tradit: *Iſocrates Librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſtea* (2). Plutarchus ait ὀκτὼ ϵ ἐνενήκοντα ἔτη βιὺς, ἤ ὥς τινες ἑκατὸν: *vixit annos* 98. *aut ut alii tradunt* 100. (3) Pauſanias (4) Ἰσοκράτει βιώσαντι ἔτη δυοῖν δέοντα ἑκατὸν, ὄυ-

ποτε

(1) Tom. I. pag. 76. & 360. (2) De Seneſt. c. 5. (3) Vit. X. Reht. in Iſocr. (4) Attic. c. 18.

ποτε κατελύθη μαθητὰς ἔχειν *Iſocrates, quum octo & nonaginta annos vixiſſet, numquam diſcipulos habere deſiit*. Lucianus vero in peculiari Opere *de Longaevis* aetatem illam ſubtilius expreſſit: περὶ ἔτη δ' ἑνὸς ἀποδέοντα ἑκατὸν γεγονὼς, ἐξέλιπε τὸν βίον *Iam vero 99. annum ingreſſus e vita diſceſſit*. Itaque, ſi Iſocrates 16. Metagitnionis Attici die anno 3. Olymp. 110. 98. aetatis annos compleverat, ipſius nativitas Hecatombaeone menſe anno 1. Olymp. 86. poſterior eſſe non poteſt; ſicuti Munychione menſe eiuſdem anni poſterior eſſe non poterit, ſi Munychione anni 1. Olymp. 87. hoc eſt Belli initio *quatuor* ſaltem aetatis annos compleverat; ut *quinto* ante Bellum anno natus dicatur. Ergo tum ex Belli initio, tum ex Iſocratis aetate perſpicue apparet ipſum ante Thargelionem menſem anni 1. Olymp. 86. in lucem prodiiſſe. Ergo, ſi Platone annis *ſex*, ut ait Laërtius, ſimulque *ſeptem*, ut ait Plutarchus, antiquior fuit, Platonis nativitas ad Thargelionem menſem anni 3. Olymp. 87. referri debet, quo Iſocrates *ſextum* aetatis annum compleverat, *ſeptimumque* novem, aut certe duobus ſaltem menſibus inceperat. Exinde vero iam facile Meurſii (1) coniectura refelli poterit, qui quum in Laërtio quidem 6. in Plutarcho vero 7. annos legiſſet, Laërtium ipſum ex Plutarcho corrigendum eſſe putavit. Vterque nimirum ex Scriptoribus illis optime accurateque tempus expreſſerat; niſi quod Laërtius *completos*, Plutarchus *inchoatos* annos indicavit. Exinde quoque perplexus alter Plutarchi locus aſſeritur, quo Iſocratem 22. annis Lyſia iuniorem fuiſſe dicit, qui *Philoclis* Archontis anno, hoc eſt

(1) Arch. Athen. Lib. II. c. 2.

eſt 2. Olymp. 80. in lucem prodierat. Etenim, ſi Iſocratis ortus ineunti anno 1. Olymp. 86. concedatur, Lyſias, qui exeunte ſolum anno 2. Olymp. 80. natus fuerit, nonniſi 22. annis Iſocratem aetate praeceſſerit; atque, ut nodus hic dirimatur, utrumque extremum reiici, ſolemniſque Dionyſii ratio perturbari cum Dodvello non debebit. Ergo, ſi temporum characteres, & Iſocratis aetas ſive ad Lyſiam, ſive ad Bellum Peloponneſiacum, ſive ad Iſocratis ipſius aetatem, ſive ad Platonem referantur, omnia mire conſpirant, ſi Plato ipſe non alio, quam Thargelione menſe anni 3. Olymp. 87. Apollodoro Archonte natus dicatur; ergo ipſius nativitas non alteri, quam Olympico anno illi, adſcribi debet, quo Apollodorus Archon undecim fere in magiſtratu menſes exegerat.

V. At non ſolum Platonis aetas, eiuſque nativitas a me conſtituta cum Iſocratis, Lyſiae, Peloponneſiaci belli initio, variis nimirum characteribus, qui apud Scriptores occurrunt, mire conſentit, ſi in annum 3. Olymp. 87. conferatur, ſed cetera quoque perſpicuo certoque foedere coniunguntur, quae de Platone ipſo memorantur. Ita Laërtius (1) ait, quod in celeberrimo Socratis iudicio Plato ipſe cum tribunal aſcendiſſet, ita orationem, Socratiſque apologiam inceperat: Νεώτατος ὢν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα ἀναβάντων· τὰς δικαστὰς ἐκβοῆσαι καταβάντων, τουτέστι κατάβηθι: *Minimus natu cum ſim, viri Athenienſes, omnium, qui tribunal aſcenderunt, interpellatumque a iudicibus re-*

(1) Lib. II. ſeg. 41.

clamantibus deſcenderunt, *hoc eſt* deſcende. Illuſtrem hunc Laërtii locum Gretſerus etiam exhibuit, ut hoc exemplo Atticorum morem oſtenderet, qui *plurales*, ut inquiunt, genitivos pro *imperativis verbis* adhibere ſolent. Sed minus id ille feliciter accurateque obſervavit. Etenim, ut perſpicue apparet, vox illa *καταβάντων* a male feriatis Iudicibus uſurpata fuit non pro *καταβήτωσαν deſcendant* (dicendum quippe fuerat *κατάβηθι deſcende*) ſed pro *καταβάντων deſcendentium*; ut nempe tacite exprimerent Platonem iuniorem eſſe ex iis, qui *deſcenderent*, quippe quum e tribunali deſcendere, atque orationem abrumpere iuberetur. Ceterum ut a tricis his digrediar, nemo Athenis Senator eſſe (1), orationem habere, ſive Tribunal aſcendere poterat, qui trigeſimum aetatis annum non attigiſſet. Perſpicue certoque id Aeſchinis (2) teſtimonio demonſtratur: *μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα. Nequis triginta annis minor cauſſam orato:* Legem ipſam Graecus Ariſtophanis Scholiaſtes (3) exhibuit: *μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα ὡς δέ τινες τριάκοντα: Lex autem erat, ne quis cauſam dicturus accederet, qui nondum quadraginta annos natus foret, ut autem alii dicunt, triginta.* Itaque, quum Socratis iudicium ante *ſextum* Thargelionis Attici diem anno 1. Olymp. 95. habitum fuerit, ut in Faſtis Atticis (4) demonſtravi, tunc Plato *triceſimum* ſaltem aetatis annum attigiſſe debuit, quod optime riteque ſalvatur ſi 7. Thargelionis die anno 3. Olymp.

(1) Xenoph. Memor. Lib I. (2) Orat. adver. Timar. (3) Ad Nubes vid. Petit. in Leg. Attic. pag. 103. & Meurſ. Themis Attica Lib. II. c. 16. (4) Tom. II. pag. 521.

Olymp. 87. natus dicatur. Sin vero ipſius nativitas ad ſequentem annum cum Dodvello, aut ad annum 1. Olymp. 88. cum Laërtio referatur, ineunte Thargelione anni 1. Olymp. 95. *trigeſimum* hunc, legitimumque aetatis annum attigiſſe non poterat. Ita quoque perſpicue intelligi, ſalvarique poterit quod Plato 81. ſimulque 82. aetatis anno e vivis exceſſit, quod a Scriptoribus ante laudatis aſſeritur. Etenim, ſi Thargelione anni 3. Ol. 87. in lucem prodiit, Thargelione menſe anni 4. Olymp. 107. *octogeſimum primum* aetatis annum abſolverat; quumque ad natalem diem, adeoque Thargelionem anni 1. Ol. 108. non pervenerit, ut ſuperius oſtendi, *octogeſimum ſecundum* aetatis annum inceperat quidem, at non abſolverat. Ergo, ut uno omnia verbo complectar, ſi Platonis ortus in annum 3. Olymp. 87. conferatur, ſingula Veterum teſtimonia nitide intelligi, componique poſſunt; ſin vero quemcumque annum alium elegeris, ſemper perplexitas aliqua eſt futura, eademque Scriptorum loca vel corrigi, vel aperte refelli debent. Sed quid Laërtio reponetur, qui Platonis ortum *Aminiae* Archontis anno, adeoque 4. Olymp. 87. contigiſſe dicit? Non aliud certe, quam quod in Archontis nomine, vel potius in anno peccatum fuit. Quum enim Apollodori anno in lucem prodierit Plato, facile profecto fuit ipſius ortum non finientis *Apollodori*, ſed incipientis *Ameniae*, nomine deſignare; quum certe primus Platonis annus maxima ex parte, atque integer fere cum Aminiae proxime inſequentis Archontis anno concurrerit. Id vero facilius irrepere fortaſſe potuit, quod ante annum 1. Olymp. 87. *Archonticus*, & *civilis* annus non ab Hecatombaeone menſe,

ſe, ſed a praecedente Gamelione, deducebatur; adeoque qui Thargelione menſe natus foret, ille Archontis eius anno natus dicebatur, qui ceteris etiam inſequentis anni menſibus in magiſtratu futurus erat. Ergo, licet anno 1. Ol. 87. novus Archontici anni cardo conſtitutus eſſet, ut *Archonticus* nempe, ac *civilis* annus una cum *olympico* ab Hecatombaeone menſe duceretur, facile tamen Scriptor aliquis veterem necdum obſoletum morem reſpiciens 7. Thargelionis diem Archontis *Aminiae* anno notavit, qui iuxta veterem morem Thargelione menſe Archon fuiſſet; licet vera novaque methodo ſequenti ſolum Hecatombaeone, vel anno Olympico, inceperit.

VI. Quemadmodum vero plurimas de Platonis ortu, atque aetate ſententias tum a veteribus, tum a recentioribus etiam Hiſtoricis traditas eſſe iam vidimus; ita quoque diſſidentes aliae opiniones de tempore circumferuntur, quo Philoſophus ille Tarentum, Archytae, Philolai, aliorumque Pythagoricae diſciplinae principum deſiderio incenſus advenerit. Certe Dodvellus (1), vir nimirum in Chronologicis ſtudiis facile princeps, Platonem in Italiam, Tarentumque conceſſiſſe dicit anno 4. Olymp. 107. quum tamen iter ac adventus ille ad annum 1. Ol. 98. certiſſime referri debeat, ut mox oſtendetur. Exinde vero pulcherrima Philoſophicae Hiſtoriae pars miris ambagibus irretiri, ac incerta eſſe debet; ſi in definienda Archytae, Philolai, Timaei, aliorumque aetate, quos Plato Tarenti inviſerat, ingens illa 40. annorum varietas, ac intervallum admitti poſſit. Itaque, ut Philoſophorum ipſorum aetas ac-

(1) De Cyclis Diſſert. X. pag. 609.

accuratiſſime conſtitui poſſit, tempus illud initio explorari, certoque definiri nunc debet, quo Plato Tarentum advenerit; unde plurima Scriptorum loca aut vitiata reſtitui, aut obſcura explicari, aut perperam ab Interpretibus ſollicitata opportune defendi poſſint. Atque illud in primis veluti certum, atque exploratum haberi poterit, quod Socrate e vivis ſublato, ut Athenienſium invidiam declinaret, Plato ipſe Athenis excedens unius ſapientiae amore exteras gentes, doctoſque in iis viros inviſit. *Poſtquam Socrates*, inquit Apuleius (1), *homines reliquit, ad Theodorum Cyrenas eſt profectus, & ad Italiam iterum venit, & Pythagoreos Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Archytam ſectatus*. Laërtius (2) vero haec itinera ſic deſcribit: Γενόμενος ὀκτὼ ϗ εἴκοσιν ἐτῶν εἰς Μέγαρα πρὸς Ε'υκλείδην ὑπεχώρησεν. ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν Μαθηματικόν. κᾀκεῖθεν εἰς Ι'ταλίαν πρὸς τὲς Πυθαγορικὲς, Φιλόλαον, ϗ Ε"υρυτον. ἔνθεν τε εἰς Α'ίγυπτον παρὰ τὲς προφήτας . . . . . . ἐπανέλθων δὲ εἰς Α'θήνας, διέτριβεν ἐν Α'καδημίᾳ: *Quum eſſet annorum duodetriginta, Megara ſe ad Euclidem.. Hinc Cyrenem profectus, Theodorum Mathematicum audivit, atque inde in Italiam ad Pythagoreos, Philolaum atque Eurytum conceſſit. Ab his ſe in Aegyptum ad Prophetas recepit..... regreſſus vero Athenas in Academia morabatur*. Itaque Plato, ſi Laërtium audimus, Italiam prius, moxque Aegyptum inviſit; idque trigeſimo aetatis anno contigiſſe videtur. Quintilianus (3) etiam ubi varia Platonis itinera deſcribit, prius Pythogoricos,

 mox

(1) De Dogmat. Plat. (2) Lib. III. ſeg. 6. & 7. & II. ſeg. 105. (3) Lib. I. c. 20.

mox Aegypti Sacerdotes memoravit; ipſoque, ut opinor, auctore, ac vade Stanleius (1) Platonem *ex Aegypto Tarentum rediiſſe* dicit. Nullus tamen hic dubito quin prius Aegyptum Plato, moxque Italiam inviſerit. Etenim Cicero (2) perſpicue diſerteque teſtatur, quod *Plato Aegyptum peragravit ut a Sacerdotibus barbaris numeros, & caeleſtia acciperet; poſt Tarentum ad Archytam, ad ceteros Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Arionem Locros*: quemadmodum alibi dixerat *Platonem, ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Archytam, Timaeumque cognoviſſe* (3); longeque illuſtrius in fragmentis *Libri I de Republica*, quae apud Nonium ſuperſunt, teſtatur *Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum diſcendi cauſſa, poſt in Italiam contendiſſe*. Huc etiam accedere fortaſſe poterit, quod quum Platoni ex Aegypto reduci, & circa Cariam naviganti, Delii quidam occurriſſent, ut a Plutarcho memoratur (4), atque ab illo Geometriae ſtudiis ſpectatiſſimo Deliacae Arae duplicandae methodum expetiiſſent; rem iis ab Eudoxo Gnidio, & Helicone Cyziceno confectum iri Plato reſpondit, facile Archytae quoque nomen proditurus, ſi iampridem Archytam ipſum, eiuſque in duplicando cubo ſolertiam cognoviſſet. At, ne obſcurioribus & ambiguis argumentis hic immorer, Cornelius Nepos (5) aſſerit, quod Dionyſius Siciliae Tyrannus, *quum Platonem Tarentum veniſſe fama in Siciliam eſſet perlata, Dioni adoleſcenti negare non potuit quin eum arceſſeret; quum Dion eius audiendi cupiditate flagraret*. Itaque Plato prius Tarentum-

(1) Pagin. 287. (2) Finib. V. 6. 29. (3) De Fin. V. c. 29.
(4) De Genio Socr. (5) In Dione c. 2.

rentum, mox Syracuſas acceſſit; quod Plutarchus etiam in *Dionis Vita* teſtatur. Sed quid Scriptores illos hic profero, quum Plato ipſe in Epiſtola, quam ad Dionis propinquos poſtea dedit, ita perſpicue de itineribus illis, ipſorumque tempore loquatur? *Quando ego primo Syracuſas profectus ſum, annos circiter quadraginta aetatis agens, Dio in ea erat aetate, qua nunc Hipparinus .... Italiam, Siciliamque adivi: haec fuit prima in ea loca profectio mea*. Ergo, ſi Plato Italiam primum, mox Siciliam inviſens, *quadrageſimum* circiter aetatis annum agebat, iter illud ad Olymp. 97. annum 4. ſive 1. Ol. 98. referri debet; quum praeſertim Dionyſius iam inde ab Ol. 96. anno 4. variis bellis tum in Sicilia tum in Italia iactatus, anno demum 1. Ol. 98. Rhegium, quod ſuperiori anno obſederat, fame ſuperaverit; adeoque ante annum 1. Ol. 98. in Sicilia tranquille degere, ocio frui, Dionis precibus impelli, Platonemque Tarento arceſſere potuiſſe non videatur. Haec ipſa temporis ratio ex Dionis etiam aetate facile deduci poterit. Siquidem Dio anno 1. Olymp. 106. certiſſime exceſſit, ut inferius oſtendetur; quumque 55. aetatis annos attigerit, ut Cornelius teſtatur, ipſius nativitas ad annum $\frac{2}{3}$ Ol. 92. referri debet. Ergo, ſi Dio, quum Plato Syracuſas acceſſit, adoleſcens quidem, ſed audiendis tamen Philoſophiae praeceptis conveniens erat, Platonis adventus ad Ol. 98. optime referri poterit. Denique, ne teſtimoniis, & argumentis aliis hic immorer, ubi Plato ex Tarento & Syracuſis diſceſſerat, atque in Aeginam a Navarcho Polide delatus, venditusque fuit, ut inferius exponetur, bellum inter Aeginetas ipſos, ac Athenienſes exarſerat; ut

 proin-

proinde Plato mortis diſcrimen ſubiverit. At bellum illud exeunte ſolum anno 4. Ol. 97. incepit, initoque foedere compoſitum fuit anno $\frac{1}{2}$ Olymp. 98. ut ex Xenophonte (1) accuratiſſime demonſtravit Dodvellus (2), ergo Platonis iter Tarentum, & Syracuſas non alteri, quam 1. Ol. 98. anno adſcribi poteſt.

VII. Perſpicuis tamen, certiſque characteribus, quibus eiuſmodi Platonis iter conſtitui, vel definiri poſſe iam diximus, illuſtris quidam, atque, ut ingenue fatear, graviſſimus Ciceronis locus adverſatur, quo Platonis iter Tarentum anno demum 4. Olymp. 107. ſive V. C. 405. contigiſſe dicitur, dum Plato *octogeſimum* aetatis annum exegerat. Etenim Cato, ſive ſub Catonis perſona Cicero (3), quum Archytam de Voluptate differentem induxiſſet, eximiam gravemque orationem illam ita concludit: *Haec quum C. Pontio Samnite patre eius, a quo Caudino praelio Sp. Poſthumius, T. Veturius Conſules ſuperati ſunt, loquutum Archytam Nearchus Tarentinus, hoſpes noſter, qui in amicitia populi Romani permanſerat, ſe a maioribus natu accepiſſe dicebat: cum quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis, quem Tarentum veniſſe L. Camillo, & Appio Claudio Coſs. reperio*. Conſulum illorum nomina, ut id opportune obſervetur, in antiquioribus Tullii editionibus ita efferuntur, ut ipſorum primus *L. Aemilius* vocetur, quum *L. Camilli* nomen Aldus nepos in ſex Mss. invenerit. Alter vero in pleriſque Codicibus, primiſque cuſis *Appius* vocatur; quamvis in poſterio-

(1) Lib. V. c. 1. (2) Annal. Xenophont. pag. 251.
(3) De Seneſt. c. 12.

rioribus editionibus *Publius* legatur. At facile profecto fuerat Pighio, ceteriſque Faſtorum Scriptoribus *L. Camilli*, & *Appii Claudii* nomen in vitiato Ciceronis loco reſtituere, quum utrumque Conſulis nomen ad annum V. C 405. in Faſtis occurrat. Itaque perſpicue Stanleius hic fallitur ubi ſcribit: *Ex Aegypto Platonem Tarentum rediiſſe L. Camillo, Appio Cl. Coſs. Ciceroni affirmatum, quibus Faſtis uſo me quidem ignorare fateor; in iis enim, qui hodie in auctoritate ſunt, eius nominis Conſules quamdiu Plato vixit nulli reperiuntur. Et certe ea aetate Tribuni plerumque Vrbi Romae praefuerunt.* Etenim Platone adhuc ſuperſtite Conſules illi imperarunt; Tribunorum nomen ac dignitas iam inde ab anno V. C. 388. reſtitutis Conſulibus ſublata fuerat; nihilque Cicero de Aegypto memoravit, ex qua Plato Tarentum advenerit. Dodvellus autem non modo Conſules illos Platone adhuc ſuperſtite Faſtis inſerendos riteque inſcriptos eſſe cognovit; verum etiam Conſulum ipſorum ſitum in ſola Varronis Epocha ſalvari poſſe putavit; ideoque perſpicuo ac illuſtri Ciceronis teſtimonio Epocham aut Faſtos illos ceteris praeferendos eſſe contendit. *Quod vero*, inquit ille (1), *L. Camillo, & Appio Claudio Coſs. Platonem Tarentum veniſſe teſtetur in Catonis Maioris perſona Cicero, non modo ſitum eorum Coſs. in anno V. C. 405. ſed locum etiam anni 405. pro hypotheſibus Varronianis egregie confirmat; illum ſcilicet, qui Ol. 107. $\frac{1}{4}$ reſponderit. Locus enim eorumdem Coſs. Catonianus (quem ſequi ſolet alioquin Cicero) convenit cum Ol. 108. $\frac{2}{3}$ quum tamen Ol. 108. 1. nec Tarenti tamen, ſed Athenis, Pla-*

(1) Diſſert. X. ſect. 80. pag. 609.

Plato deceſſerit. Hinc ergo ſupputatio Varroniana veriſſima omnium eſſe evincitur .Doctiſſimus tamen vir, ſolertiaeque in ſtudiis iſtis admirandae perſpicue fallitur, ſibique repugnat. Quemadmodum enim ſuperius oſtendi, licet annus V. C. 405. in Varronis Epocha cum anno $\frac{3}{4}$ Olymp. 107. concurrat, & Conſularis annus, quo *L. Camillus, & Appius Claudius* imperarunt, ad ineuntem etiam annum 1. Ol. 108. extendatur; Platonis tamen mors, in Dodvelli ſententia, exeunte ſolum anno 1. Ol. 108. contigerat; adeoque, licet Conſules illi anno V. C. 406. Varroniano, ſive 405. Capitolino concedantur, & conſularis ipſorum annus cum 1. Ol. 108. integer fere committatur, Platonis tamen mors, ſimulque iter Tarentum uno eodemque Conſulum illorum anno contigiſſe potuit, ſi nimirum ineunte quidem Olympico, & Conſulari anno Tarentum venerit Plato, exeunte vero Athenas redux obierit. Itaque, ut Varronianae ſententiae veritas, & accuratio ex pulcherrimo Ciceronis loco rite feliciterque inferatur, Platonis mors non ad Thargelionem menſem cum Seneca, & Dodvello; ſed ad Hecatombaeonem potius anni 1. Ol. 108. hoc eſt ad initium anni V. C. 406. quo *M. Popilius Laenas, & M. Valerius Corvinus L. Camillo, & Appio Claudio* ſucceſſerunt, certiſſime referri debet. At, ne Platonis mortem, eiuſque tempus antea iam conſtitutum hic iterum perſequar, ergone Platonis iter Tarentum *L. Camilli, & Appii Claudii* anno, hoc eſt V. C. 405. & 4. Olymp. 107. quod nitide diſerteque a Cicerone traditur, contigerat? Aut ſplendide hic ego fallor, aut Cicero in re celeberrima perſpicue labitur; aut ipſius locus, cui Dodvellus innititur, manife-

feſte mutilus haberi debet. Siquidem Platonis iter Tarentum anno 1. Ol. 98. V. C. 366. contigiſſe pluribus iiſque certiſſimis Scriptorum teſtimoniis demonſtravi. Quamvis autem ille ter in Siciliam appulerit, Italiam tamen, Tarentum, atque Archytam nonniſi ſemel inviſit; tantumque abeſt ut Plato anno 4. Ol. 107. *octogenario* maior Tarentum conceſſerit, ut poſt annum 1. Ol. 105. quo tertio poſtremoque itinere ex Sicilia Athenas redierat, numquam inde pedem extulerit. Ergo in eximio Ciceronis loco perſpicuus error agnoſci debet. Quis porro exiſtimet illum a Cicerone, viro cum Graecae tum Romanae Hiſtoriae peritiſſimo, admiſſum eſſe, qui ſaepius alibi, & in eodem ipſo *Catonis* Libro exarando Romanos Conſulum Faſtos, Olympiadum, & Archontum ſeriem, *illuſtrium hominum*, aetatem, & *temporum notationem* ab Attico *religioſiſſime* exaratam oculis ſubiectam habuiſſe conſpicitur? Non is profecto ego ſum, qui immanis adeo erroris labem Attico, vel Ciceroni affingi poſſe concedam, ut ille univerſam fere Platonis, Archytae, aliorumque aetatem ac hiſtoriam miſere perturbaverit. Itaque, ut merito Ciceronis autoritas hic aſſeratur, eiuſque teſtimonium cum reliquis Scriptorum omnium locis perſpicuo certoque foedere concilietur, Ciceronis textum omnino mutilum, & hiulcum eſſe contendo; ut proinde *L. Camilli, & Appii Claudii* nominibus non annus ille, quo Plato *Tarentum venit*, ſed ille potius, quo *Plato interiit*, a Cicerone deſignatus dicatur. Expreſſerat, opinor, Cicero tempus, quo Plato Tarentum venerat, ſimulque tempus, quo deinde Athenis obierat; ac utrumque additis Magiſtratuum Romanorum nominibus ita fortaſſe indicaverat:

quum

quum quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis, quem Tarentum veniſſe Lucio Aemilio, & Publio Cornelio Tribunis, & obiiſſe L. Camillo & Appio Claudio Conſulibus reperio. Itaque feſtinans librarius oſcitanter a primis Magiſtratuum nominibus ad ſecunda temere tranſilivit; adeoque interiecta verba omittens, ita Ciceronis verba nobis exhibuit perinde quaſi Cicero ſolum itineris mortiſque tempus expreſſiſſet. Eiuſmodi vero erroris atque oſcitantiae genus, quod innumeris exemplis aliis ſuaderi poteſt, ideo facilius irrepere hic potuit, agnoſcique debet, quod aliqua in praenominibus ſimilitudo reperitur, veteriſque ac verae lectionis veſtigium in antiquis Codicibus conſervatum fuit. Quemadmodum enim ſuperius obſervavi, in nonnullis Codicibus pro *Lucio Camillo* reperitur *Lucio Aemilio*; ſicuti non *Appio*, ſed *Publio*, legitur: quod argumento eſſe poterit ab imperitis Scriptoribus modo prima, modo ſecunda Magiſtratuum nomina omiſſa fuiſſe; tum poſteriora ſolum, ſed vitiata tamen ac temere cum primis permixta, ſuperfuiſſe; ut poſtremo ſecunda ſolum nomina in poſterioribus editionibus recepta, atque ex Faſtis emendata fuerint. Quod ſi Magiſtratuum aut Tribunorum nomina, quae iampridem exciderant, in Ciceronis textu reſtituta ſint, omnia nitide accurateque conſpirabunt. Siquidem *L. Aemilius Mamercinus*, & *P. Cornelius* una cum Collegis quatuor Conſulari poteſtate anno V. C. 365. hoc eſt ineunte anno 1. Ol. 98. imperarunt, quo Platonem Tarentum veniſſe, atque cum Archyta ceteriſque Pythagoricis verſatum eſſe perſpicuis Veterum teſtimoniis demonſtravi. Sed luxatus ille, ac vitiatus Ciceronis locus alia quoque ratione facile ſuppleri.

ri.

ri, corrigique poteſt, ſi non Tribunorum, ſed ſolum *Camilli Dictatoris* nomen in illo reponatur; adeoque legatur, *quem Tarentum veniſſe M. Furio Camillo Dictatore, obiiſſe vero L. Camillo &c.* Etenim vere *Camillus* anno V. C. 363. Dictator creatus anno 365. adhuc ſupremo hoc munere fungebatur, quo de Volſcis, Aequis, Etruſcis triumphavit. Hinc facile Cicero *Camilli III. Dictatoris* nomen veluti certam temporis notam uſurpaſſe potuit: atque librarius a primi, hoc eſt Dictatoris, *Camilli*, ad ſecundum *Camilli* Conſulis nomen facile tranſiliens, immanem in Platonis hiſtoriam, ac Ciceronis textum errorem invexit.

VIII. Iam vero Platonis itinere, eiuſque tempore ſic conſtituto, nonnulla quoque Scriptorum loca opportune corrigi atque illuſtrari poſſe conſpicio. Narrat Laërtius (1) quod Dionyſius Platonis libertate offenſus ipſum interimere meditabatur; ſed Ariſtomenis, ac Dionis precibus exoratus, Platonem Polidi, qui Syracuſas Spartanorum nomine legatus advenerat, tradidit, ut ab illo occideretur. Itaque, quum Plato in Aegina inſula depoſitus, vendituſque foret, a Charmandro Charmandridae filio, veluti mortis reus accuſatus fuit *κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς τεθέντα νόμον, τὸν πρῶτον ἐπίβαντα Ἀθηναίων τῇ νήσῳ ἄκριτον ἀποθνήσκειν*: *iuxta promulgatam apud eos legem, ut qui primus Athenienſium in eam inſulam exſcendiſſet, abſque iudicis ſententia morte afficeretur.* Meurſius (2) in *Themide Attica*, ubi Leges omnes ab Athenienſibus inſtitutas accurate recenſet, hanc etiam enumerat: perinde quaſi lex illa ab Athenienſibus lata, ceteriſque Athenienſium

(1) Lib. III. ſeg. 19. (2) Lib. II. c. 22.

ſium legibus accenſenda foret; quum tamen perſpicue ab Aeginetis contra Athenienſes promulgata, atque a Charmandro ipſo rogata illa fuerit: quod Plutarchus etiam in *Dionis Vita* teſtatur. Anniceridis tamen praeſidio P atonem morti ereptum, viginti minis redemptum, atque Athenas incolumem dimiſſum fuiſſe ſcribit Laërtius (1). Itaque corrigendus hic Tzetzes (2), qui Platonem ex Polidis Navarchi manibus non ab Anniceride, ſed ab *Archyta Philoſopho Pythagoreo*, ereptum eſſe ſcripſit. De Polide vero ſubdit Laërtius: τὸν μέντοι Πόλιδα λόγος ὑπό τε Χαβρίου ἡττηθῆναι, ϗ μετὰ ταῦτα ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι, τῦ δαιμονίυ μηνίσαντος αὐτῷ διὰ τὸν Φιλόσοφον: *Polidem vero a Chabria ſuperatum, & poſtea in Helice fuiſſe ſubmerſum fama eſt; daemonio illum vindicta perſequente Philoſophi cauſſa*. Aldobrandinus Laërtii interpres legiſſe videtur ἐν ἕλικι; interpretatur enim *in vortice*. Menagius vero Ambroſii veſtigiis inſiſtens obſervavit *Helicen* Peloponneſi urbem fuiſſe, ſubditque quod *ibi demerſus eſt Polis in mare ab hoſtibus captus, & eo ſupplicio damnatus*. At unde Menagius id hauſit, quove auctore, & vade Polidis iacturam, ſuppliciumque ipſi ab hoſtibus inflictum probabit? Certe Diodorus (3), qui Polidem a Chabria in navali ad Naxum pugna anno 4. Ol. 100. ſuperatum fuiſſe memorat, quod 16. Boëdromionis Attici contigiſſe Plutarchus (4) teſtatur, tantum abeſt ut navarchum Polidem ab hoſtibus captum fuiſſe dicat; ut perſpicue potius aſſerat Spartanorum naves ac milites fugiſſe, ipſumque

(1) Lib. III. ſeg. 20. (2) Chil. XI. verſ 362. (3) Lib. XV. c. 35. (3) De Gloria Athenien. & in Camillo

que Chabriam ab inſequendis hoſtibus abſtinuiſſe. Accedit etiam quod in eo conflictu Athenienſes Chabria duce contra Spartanos dimicarunt; nihilque certe in cauſſa eſſe potuit cur Athenienſes victum Polidem prope Helicem, hoc eſt in Corinthiaco ſinu, ſubmergerent. Denique Laërtius ait Polidem non *prope Helicem*, quae 12. ſtadiis a litore aberat, ſed *in Helice* ſubmerſum fuiſſe. Itaque Laertii locus obſcure, minuſque accurate ab Interpretibus expoſitus cenſeri facile poterit; veruſque ipſius ſenſus, adeoque tempus, quo Polis obierit, ex Hiſtoriis aliis repeti debet. Quolibet vero pignore hic ego contenderim, Polidis mortem non alibi, quam in celeberrima maris eluvione contigiſſe, quam Strabo (1), aliique plurimi memorarunt. Etenim Strabo de Helice urbe diſſerens, ait: *Helicem duobus ante res Leuctricas annis deſtructam eſſe. Heraclides autem narrat aetate ſua calamitatem illam noctu incidiſſe; urbemque ipſam, quae ſtadiis* 12. *diſtabat a mari, toto cum loco fuiſſe obrutam . . . nam quum terraemotus in ſublime pelagus extuliſſet, & ipſam diluvii inſtar abſorpſit.* Haec ipſa de Helices, & Burae excidio Ariſtoteles (2), Ovidius (3), Seneca (4), Euſtathius (5), Plinius (6), Diodorus (7), Pauſanias (8), Aelianus (9) memorarunt; quorum Plinius id etiam perſpicue teſtatur quod Vrbium illarum *in alto veſtigia apparent*. Itaque, quum Leuctrica pugna anno $\frac{1}{2}$ Ol. 102. contigerit, Helices excidium ad annum $\frac{1}{4}$ Ol. 101. referri debet; ut facile proinde Polis iampridem a Chabria prope Na-

(1) Lib. VIII. pag. 761. (2) De Mundo c. 24. (3) Metam. Lib. XV. ver. 293. (4) Quaeſt. Natur. Lib. VI c. 25. (5) Ad Iliad. II. ver. 63. (6) Lib. II. c. 92. (7) Lib. XV. c. 48. (8) Lib. VII. c. 25. (9) Hiſtor. Animal. Lib. XI c. 19.

Naxum fugatus, tumque Daemonis vindicis conſilio fortuito in Helice moram ducens, communi Vrbis, civiumque clade interierit. Ita nimirum optime verificatur, quod *in Helice* ipſa aquis maris obrutus extinctusque ille fuerit; idque peculiari quodam Daemonis conſilio factum cenſeretur: quod nimirum Spartanus homo in Corinthiae urbis excidio inſueto quodam atque admirabili naufragii, mortiſque genere peremptus fuerit.

IX. Atque hactenus quidem de primo Platonis in Siciliam itinere, ceteriſque, quae Platoni Athenas reduci contigerunt. Quod enim ad ſecundum, ac tertium ipſius in Siciliam iter attinet, ſecundum anno 2. Ol. 103. adſcribi debet, poſtquam Dionyſius filius patri in tyrannide, ſive regno ſucceſſerat. Etenim Cornelius Nepos ait, quod *primis regni temporibus Dion non deſiſtebat obſecrare Dionyſium ut Platonem Athenis arceſſeret, & eius conſiliis uteretur. Ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei geſſit*. Sic etiam Plato ſe a Dionyſio accerſitum eſſe teſtatur *priuſquam ulli alii ipſi adhaerentes neglectis optimis vitae inſtitutis, ad alia illum deflecterent*. Ergo, quum Dionyſius anno 1. Ol. 103. regnare coeperit, Platonis in Siciliam reditus anno ſequenti facile adſcribi poterit. Quamdiu vero Syracuſis ille ſubſtiterit, definiri non poteſt. Id unum perſpicue ex Platonis Epiſtola apparet, quod iampridem Archytas, aliique Tarentini ad Dionyſium acceſſerant, quod Plutarchus etiam in *Dionis Vita* teſtatur: quemadmodum utriuſque teſtimonio erudimur *quarto* poſt Platonis adventum *menſe* Dionem a Dionyſio ex Sicilia pulſum fuiſſe. Ceterum exeunte 4. Olymp.
eiuſ-

eiuſdem anno Platonem e Sicilia reducem ad Olympia primum, tum Athenas conceſſiſſe, ex ſecunda Platonis Epiſtola *ad Dionyſium* colligitur, in qua ſe ſe ex Sicilia profectum Olympicis Ludis interfuiſſe teſtatur. Quandoquidem vero Dionyſius Dioni infenſus erat, Plato Regis animum lenire cupiens, tertio Syracuſas acceſſit (1). Id anno 4. Ol. 104. contigiſſe, perſpicuis certiſque characteribus oſtendi poſſe obſervavi. Etenim Plutarchus *in Dione* dicit, quod quum Plato Syracuſas adveniſſet, *Helicon Cyzicenus, unus ex Platonis familiaribus, defectionem Solis praenunciavit, qua, ut praedixerat, conſequuta, affectus admiratione Tyrannus donavit ei argenti talentum.* Itaque, quum eclipſis illa anno V. C. 394. die 19 Februarii contigerit, perſpicue apparet, quod Plato Syracuſas nuper acceſſerat. Sed, quum iratum Dionyſii animum conciliare Plato non poſſet, ipſique potius apertum vitae diſcrimen impenderet, Dionyſius, Archytae precibus & auctoritate, liberum illum dimiſit. Id vero ineunte fere anno 1. Olymp. 105. contigiſſe ex Platone colligitur, qui in Epiſtola *ad Dionis propinquos* ait: *Quum in Peloponneſum veniſſem, ibique offendiſſem Dionem ſpectantem Ludos Olympicos, quae facta fuerant, narravi.* Ita Laërtius (2) ait: Platonem, *quum in Olympia aliquando aſcendiſſet, Graecorum in ſe omnium ora convertiſſe; ac eodem tempore Dioni congreſſum adverſus Dionyſium bellare inſtituenti.* Denique Plutarchus (3) ait, quod interim dum exercitus a Dione comparabatur, *adulta aeſtas erat, Luna pleno lucebat orbe, quum Dion Apollini magnificum ſacrificium paravit, & armatis militibus ad templum proceſ-*

E *ſit*

(1) Laërt. Lib. III. ſeg. 23. (2) Seg. 25. (3) In Dione.

ſit, *ſub libamina*, *& ſolemnia vota defecit Luna*. Eclipſis illa anno 1. Olymp. 105. V. C. 394. 9. Auguſti die hora fere 8. poſt meridiem contigit; adeoque Platonis reditus ineunte 1. Olymp. eius anno certiſſime adſcribi debet, paucis diebus antequam Dion in Siciliam traiiceret, Dionyſioque bellum inferret.

X. Exinde vero plura ad Dionis, Dionyſiique aetatem ſpectantia facile conſtitui, ſuiſque temporibus rite diſponi poſſunt, quae modo a Scriptoribus perperam tradita, vel conſignata ſunt. Ita Diodorus (1), ipſique ſemper inhaerens Petavius, Corinthios a Dione contra Dionyſium ſollicitatos eſſe dicit anno 3. Ol. 105. ſequentique anno 4. Dionem una cum foederatis conſcriptiſque militibus in Siciliam traieciſſe. At apparatus ille, & expeditio lunaris eclipſis tempore, adeoque ineunte anno 1. Ol. 105. contigit, ut ſuperius demonſtravi. Dionis mortem anno 3. Ol. 106. contigiſſe dicit; quum tamen ad annum 1. referri illa debeat; hoc eſt, ut Cornelii Nepotis verbis utar, *quartum poſt annum quam ex Peloponneſo in Siciliam redierat*. Dionyſium victorem Syracuſas iterum recepiſſe dicit anno *decimo* poſtquam eiectus inde fuerat; idque anno 2. Ol. 108. adſcribit. Sed, quum Syracuſis anno 1. Ol. 105. pulſus fuerit Dionyſius, ipſius reditus anno 3. Ol. 107. adſcribendus erit. Quandoquidem vero Dionyſius *duodecimo* belli anno tandem Sicilia eiectus Corinthum extorris migravit, id anno 4. Ol. 108. contigiſſe ſcribit Euſebius; Scaliger autem Diodorum ſequutus ad annum 2. Ol. 109. revocavit; quum tamen Diony-

(1) Lib. XVI. c. 6.

nyſii fuga 1. ſive, ſi libeat, 2. Olympiadis ipſius annum incidiſſe debuerit. Denique, ne minutiora perſequar, quum Plutarchus (1) perſpicue teſtetur, Timoleontem *decimo* belli anno in Siciliam appuliſſe, ibique annis *octo* imperaſſe, Petavius Timoleontis mortem anno 4. Ol. 110. adſcribit. Sed ipſius in Siciliam adventus anno . Ol. 107. adeoque mors anno 3. Ol. 109. ſive 1. Ol. 110. concedi debet. Itaque, ut uno omnia verbo complectar, quum Dionis expeditio in Siciliam duobus ſerius annis a Diodoro, Petavio, ceteriſque Hiſtoricis aſſignata fuerit, quidquid etiam ab illa veluti cardine pendebat, duobus ſemper annis ſerius exhibetur; adeoque, ſi expeditionis Siculae tempus rite ſuperius expoſitum admittatur, univerſa quoque rerum illarum ſeries facile componi, ſuiſque temporibus adſcribi poterit. Optime quidem novi Petavii, aliorumque calculos, non modo Diodori teſtimonio, qui plerumque res uno ſerius anno conſignare ſolet, verum etiam Nepotis teſtimonio inniti, qui diſerte, ſcribit Dionyſium *tyrannidem tenuiſſe decem annis*, *alios duodecim fuiſſe a bello per Dionem geſto iactatum;* ut proinde, ſi tyrannidem ille moriente patre anno 1. Ol. 103. arripuit, bellum a Dione illatum nonniſi anno 3. Ol. 105. incoepiſſe videatur. At fieri profecto potuit ut in Nepote annorum numerus vitiatus fortaſſe fuerit; ſive potius Scriptor ille *decem* tyrannidis annos utroque extremo computato expreſſerit. Et quamvis etiam Nepotis auctoritas perſpicua, & graviſſima cenſenda ſit; clarioribus tamen longeque gravioribus teſtimoniis aliis, aut indubiis temporum characteribus praeferri non

E 2 po-

(1) In Timoleon.

poterit, quibus Platonis reditum ex Sicilia, Dioniſque expeditionem ac bellum ineunti ſolum anno I. Ol. 105. adſcribendum eſſe demonſtravi.

Haec ſunt, quae ſubciſivis horis adnotare, & ad Te ſcribenda eſſe cenſui, Doctissime Praesvl, ut hoc, exiguo licet, mei in te obſequii, & amoris monimento, quanti faciam eruditionem tuam aliquo modo teſtarer, qua praeclare non ſolum de patriis monumentis Etruſcis; verum etiam de univerſa Antiquitate optime meritus es: quod etiam maiora in dies moliaris publico litterariae rei bono, mutuo amoris & ſtudiorum vinculo revinctus cum Clariſſimo Gorio noſtro, quo favente, & ipſe multum, quod ingenui pudoris eſt fateri, profeci ad Antiquitatis myſteria proferenda; ad alios labores ſubeundos, dum vires ſufficient, ſemper paratiſſimus.

DIS-



DISSERTATIO III.
IN AEREVM NVMISMA
MAXIMAE MAGNITVDINIS
IMP. CAES. ANTONINI PII
AD VIRVM CLARISSIMVM
GABRIELEM LANCILLOTTUM
C A S T E L L V M
PRINCIPEM TVRRISMVZAE etc. etc. etc.

SErius certe quam par fuerat, NOBILISSIME, ATQVE DOCTISSIME PRINCEPS, literae tuae, quibus me perhumaniter compellaſti, ſimulque praeclara amoris in me tui, ac munificentiae pignora reddita ſunt: aureoli nempe Libri, quibus marmoream Romani Praetoris ſtatuam, ex Aleſinae Vrbis ruinis eru-

tam, ſimulque plurima ad eiuſdem Vrbis Hiſtoriam, & caſus ſpectantia, ſubtiliter, accurate, & elegantiſſime demoſtraſti; quum interim alia ad patriam Hiſtoriam, & Antiquitates Panormitanas pertinentia, inedita quidem, praeclaro labore & ſtudio moliaris. Id tamen commode atque oppportune factum putaverim, quod munera haec tua eo prorſus tempore delata ad me fuerint, quo Plutarchi Libros *De Placitis Philoſophorum* latine a me redditos, recenſitos, Auctoris etiam Vita, perpetuiſque Obſervationibus, atque Diſſertationibus illuſtratos, novo meliorique cultu exornatos eram editurus. Etenim, quum in ipſa Libelli fronte elegantem illum ac plane ſingularem ANTONINI CAESARIS Nummum in Muſeo Capitolino adſervatum, exprimendum curaſſem, in cuius adverſa parte Prometheus humanum corpus ex luto fingens conſpicitur; ſimulque Pallas, quae humano capiti mentem animumve pulcherrima *Pſyches*, aut *papilionis* imagine expreſſam inſerere meditatur, praeclarum eiuſmodi monimentum, quo caeleſtis, atque divina propemodum animi noſtri natura, ſapientiaeque cauſſa & origo a Veteribus adumbrara fuit, brevi quadam elucubratione, Gorio noſtro duce, operiſque auctore, exponendum, ac illuſtrandum ſuſceperam. Itaque praeclare mecum agi putavi, quod in eiuſmodi argumenti genere pertractando opportunitas quaedam oblata foret, qua devinctiſſimum Tibi, gratumque animum meum teſtari poſſem; ſi nimirum Diſſertationem ipſam, quaecunque demum futura illa foret, Tibi conſecrarem; ut tuo proinde nomini inſcripta, in VI Litterariarum Symbolarum Gorianarum Volumine ederetur. Atque optime quidem novi nihil propemodum, hoc praeſertim tempore, quo ſtudiis

aliis,

aliis, praeſertim vero Faſtis Atticis, edendis diſtineor, proferri a me poſſe, quod ingenio doctrinaeque tuae, praeclaris etiam in rem literariam meritis par eſſe poſſit: quippe qui viderim quantonam ſtudio & amore Eruditae Antiquitatis cognitionem, atque honeſtiſſimas etiam facultates omnes complectaris; quave munificentia, & humanitate iis deditos homines fovere conſueveris. Quae quidem egregia animi tui ornamenta, praeclaraeque dotes non modo ſingulae Siciliae tuae urbes, quibus & avita generis gloria, & opibus ac imperio, & virtutum ſplendore quam qui maxime commendaris; ſed exterae quoque Gentes, Eruditorum hominum Coetus, atque Academiae perſpicue teſtantur, quae nomine auſpicioque tuo decorantur; quum praeſertim florente adhuc aetate ampliſſimam illam Maiorum tuorum gloriam tum belli tum pacis artibus partam, praeclaro hoc virtutis veraeque ſapientiae ſtudio augere, atque amplificare merito videaris. Quandoquidem tamen eximia prorſus humanitate praeditus es, longeque honorificentius de me, ſtudiiſque meis ſentire ſoles, id optimo certe maximoque iure ſperare, mihique polliceri poſſe iam videor, ut tenue hoc obſervantiae in Te meae monimentum ea, qua cetera excipere ſoles, benignitate complectaris; atque in illo pulcherrimi argumenti dignitatem, ſimulque devinctiſſimum Tibi animum meum intuearis. Itaque dum maximas Tibi atque immortales gratias pro muneribus ceteriſque meritis in me tuis refero, illud etiam enixe a Te poſtulo, ut eodem ipſo amoris, clementiae, atque humanitatis genere, quod in Antonino Caeſare laudari, meritoque efferri conſpicies, meque, Ordinemque meum amare pergas; nihilque nobis ma-

gis cordi futurum intelligas, quam ut eximiae huic voluntati in nos Tuae, meliori qua fieri poterit ratione, reſpondere videamur.

II. Atque, ut ab adverſa Nummi facie exordiar, qua Nummus ipſe elegantia ſimulque raritate inſignis efficitur, cuius imaginem in fronte huiuſce meae Opellae propoſitum vides, VIR NOBILISSIME, Promethei Fabula, a Mythologis omnibus celebrata, notior eſt certe, quam ut hic fuſius exponi a me debeat. Id opportune tamen obſervaſſe nunc iuverit, quod variae hac in parte apud Veteres ipſos ſententiae ferebantur; quarum una a Nummi ſcalptore pulcherrime expreſſa fuit: ea nimirum, quam ceteris accuratiorem eſſe oſtendemus. Etenim alii quidem hominem, virum nempe ſimulque feminam, a Prometheo formatum eſſe dixerunt. Hinc Apollodorus ait (1): Προμηθεὺς ἐξ ὕδατος καὶ γῆς ἀνθρώπȣς πλάσας ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ πῦρ λάθρα Διὸς ἐν νάρθηκι κρύψας: *Prometheus, formatis ex aqua & terra hominibus, clam Iove ignem in ferula furatus conceſſit*. Lucianus (2) etiam perſpicue id innuere videtur, quum Promethei opus *plaſmata* appellavit: Α'ρχιτέκτων αὐτὸς ἦ, συνειργάζετο δέ τοι ἡ Α'θηνᾶ ἐμπνεύȣσα τὸν πηλὸν, ϗ ἔμψυχα ποιȣ̃σά τὰ πλάσματα: *Architectus ipſe erat; ſed cooperabatur tamen illi Minerva, quae & lutum inſpirabat, & figmenta illa animata reddebat*; longeque clarius alibi (3) teſtatur Prometheum virum ac mulierem effinxiſſe. Quin etiam Menander ea ſolum de cauſ-

(1) Lib. 1. pag. 12. (2) In Prometh. (3) In Dial. Iovis & Prometh.

cauſſa Prometheum ipſum a Diis punitum, Caucaſoque affixum aſſerit: quod ille

——— ὃ μισεῖν ὄιμ᾽ ἅπαντας τὺς Θεὺς,
Γυναῖκας ἔπλασε.

Hyginus autem a Prometheo quidem viros; mulieres autem a Vulcano formatas eſſe teſtatur (1): *Prometheus primus homines ex luto finxit; poſtea Vulcanus Iovis iuſſu ex luto mulieris effigiem fecit, cui Minerva animam dedit.* Hinc apud Stobaeum (2) eleganter dicitur a Prometheo terram, ex qua homines ipſe fićturus erat, non aqua, ſed lacrimis, perfuſam ac maceratam fuiſſe: quod ille nimirum ingentem malorum iliadem inde futuram proſpiceret. Denique, ne Poëtas alios hic perſequar, Heſiodus (3) perſpicue docet Pandoram Epimethei coniugem, feminarum omnium primam, a Vulcano creatam fuiſſe (4). Atque altera haec certe opinio ab Artifice noſtro facilius expreſſa fuit, quum ille ſtatuam unam, virique corpus a Prometheo formatum exhibeat; quod in ceteris etiam Anaglyphis illis apparet, in quibus Prometheus hominem ex luto fingens, virique formam aut manibus, aut interdum inſtrumenti cuiuſdam ope inducens, conſpicitur: cuius luti reliquias a Panopenſibus Phocidis populis oſtendi Pauſanias (5) obſervavit. Quamvis tamen Scriptores omnes a Prometheo hominem e luto formatum fuiſſe velint; Horatius tamen humanum corpus ex variis animantium partibus una coniunćtis riteque compoſitis effićtum eſſe teſtatur (6):

Fer-

(1) Fab. 142. (2) Eclog. Ethic. Serm. I. pag. 21.
(3) Pauſan. Attic. c. 24. (4) Oper. ver. 60. (5) Phocic. c. 4.
(6) Lib. I. Ode XVI. ver. 13.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Diſſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

perinde quaſi Prometheus ipſe luto varias etiam animantium partes adiunxerit; atque ea de cauſſa ferarum impetus, & affectus in nobis oriri debuerint. Quo ex fonte id hauſerit Horatius, definiri vix poterit. Idoneum tamen veteremque Scriptorem opinionis huius vadem is habuit; ut inde facile ſuſpicari poſſimus, Veteres etiam in explicanda Promethei fabula diſſediſſe; quum tamen omnes humanum corpus a Prometheo formatum aſſererent.

III. Hinc in pulcherrimo hoc Nummo Prometheus ſaxo vel rupi inſidens exhibetur, qui humanum corpus, veluti ſtatuam, a ſe formatum conſiderat. Pone ſimulacrum ipſum in laeva Nummi parte Minerva, ſeu Pallas aegide geleaque inſignis conſpicitur; noctua quoque, ac ſerpens circa arborem obvolutus occurrit; quae ſingula ad Palladem, veluti prudentiae ſapientiaeque ſymbola, referuntur. Pallas ipſa dexteram verſum humanum caput recens a Prometheo formatum admovet, ac *pſychen*, ſive alatum papilionem, quem extremis illa digitis ſuſpenſum tenet, humano corpori inſerere meditatur: qua papilionis imagine humanos animos veluti ſymbolo deſignari, mox oſtendetur. Itaque Promethei, hominis, Palladiſque imago Nummo inſculpta cum Promethei fabula ſuperius expoſita mire conſpirat. Etenim Scriptores omnes homini recens formato ſpiritum, ani-

animumque a Pallade conceſſum eſſe teſtantur ; idemque Prometheus apud Lucianum (1) ait : *γάων ὕδει φύρας, καὶ διαμαλάξας, ἀνέπλασα τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὴν Ἀθηνᾶν παρακαλέσας συνεπιβάλλεσθαί μοι τοῦ ἔργου* : *terram aquae commiſcens, ex liquida mollique terra effinxi homines*; *Minervam interim adhortatus, ut in opere abſolvendo mihi ferret ſuppetias*. Fulgentius (2) tamen ſuppetias illas Prometheo a Minerva latas, hiſtoriam hanc, animique originem aliter expreſſit : Ait enim : *Prometheum hominem ex luto finxiſſe ; quem quidem inanimatum, atque inſenſibilem fecerat. Cuius opus Minerva mirata, ſpopondit ei, ut, ſi quid vellet de caeleſtibus donis ad ſuum opus adiuvandum, inquireret. . . . Dumque* Prometheus a Pallade in caelum ſublatus *videret omnia caeleſtia flammatis animata vegetare vaporibus, clam ferulam Phoebiacis applicans rotis, ignem furatus eſt, quem ſpectaculo hominis applicans, animatum reddit corpus*. Itaque, concludit Fulgentius : *divinum ignem, quem voluerunt, animam monſtrant divinitus inſpiratam, quae apud Paganos dicitur de caelis tracta*. Ita Claudianus (3) animum humano corpori non a Minerva, ſed a Prometheo ſolum, ſublata a caelo face igneque in terras delato, conceſſum putavit,

——————— dum conderet artus
Noſtros aethereis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo
Coniunxit clauſtris, indignantemque revinxit.

Ita propemodum vetus ille Horatii Scholiaſtes (4) ait

(1) Prometheus vinctus. (2) Lib. II. c. 19.
(3) Paneg. IV. Conſul. Honor. (4) Ad Lib. I. Ode 3.

ait, *ignem e caelo furtim a Prometheo ſurreptum ad ſuas e terra fictas ſtatuas animandas*.

IV. Atque inde ſane illuſtres illae veterum Philoſophorum ſententiae profluxerint, qui mentis humanae, animique noſtri ſubſtantiam ex aethereo, puriſſimo, divinoque igne formatam, atque hauſtam eſſe putarunt. Certe, Plutarcho (1) ipſo teſte, *ἀυτὴν τὴν ψυχὴν ἔνιοι τῶν Φιλοσόφων φῶς εἶναι τῇ ὐσίᾳ νομίζυσιν: ipſam animam nonnulli Philoſophorum lumen, ſuapte natura, eſſe ſtatuunt*. Ita apud Stobaeum (2): *Ηρακλείδης φωτοειδῆ τὴν ψυχὴν ὡρίσατο, Λεύκιππος ἐκ πυρὸς εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπεφήνατο. Παρμενίδης δὲ, κ̀ Πήγαθος πυρώδη*: ubi Canterus non *Η'ρακλείδης*, ſed *Η'ράκλειτος*, ſcribendum eſſe coniecit; moxque pro *Πήγαθος*, quae nihili vox eſt, *Λεύκιππος* reſcribendum eſſe exiſtimavit. Immerito id tamen, quum *Leucippi* nomen atque ſententia ſeorſim ab aliis expreſſa fuerit. Itaque potius reſcribi velim ΙΠΠΑCΟC *Hippaſus*; non modo quod ſuperſtites ac vitiati characterum ductus facile in ΠΗΓΑΘΟC abire potuerint; verum etiam, quod Plutarcho (3) teſte, Hippaſus Metapontinus, Heracliti inſtar, *ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ. ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ παντα γίνεσθαι, καὶ εἰς πάντα τελευτᾶν: principium univerſorum ignem* eſſe dixerit; *ex igne enim omnia fieri, atque in ignem omnia interire*. Eiuſmodi vero ſententiam ex Stoicae iu primis, ac Platonicae doctrinae fontibus mox derivatam eſſe conſpicimus; quum ii humanos animos (4) *οὐκ ἐρ-*

(1) De occulte vivendo. (2) Ecl. Phyſ. pag. 93.
(3) De Plac. Phil. I. c. 3. (4) Plutarch. Quaeſt. Plat.

ἔργον τῦ Θεῦ μονὸν, ἀλλὰ καὶ μέρος, ὐδ᾽ ὑπ᾽ αὐτῦ, ἀλλὰ ἀπ᾽ αὐτῦ, καὶ ἐξ αὐτῦ: *Dei non ſolum opus, verum etiam partem; neque ſolum ab ipſo, ſed de ipſo, & ex ipſo factum:* quemadmodum ait Cicero (1), numquam Veteres dubitaſſe, *quin ex univerſa Mente divina delibatos animos haberemus*. Deus autem ipſe a Stoicis dicebatur (2) πῦρ τεχνικὸν, καὶ πνεῦμα διῆκον δι᾽ ὅλον τῦ κόσμυ: *ignis artifex, ſpiritus univerſum mundum pervadens*, ut fuſius ad Plutarchi Libros *de Placitis Philoſophorum* expoſui. Itaque mirari plane non poſſumus, ſi plerique Veteres animum, Dei ipſius inſtar, ignea natura viribuſque praeditum exiſtimarunt; adeoque animam humano corpori infuſam facis igniſque pectori admoti ſymbolo deſignarunt. Frequentius tamen animae vis & origo, adeoque Promethei Fabula, ut in Nummo noſtro, aliiſque id genus monimentis, occurrit, non *ignis*, accenſaeque facis, ſed *pſyches*, aut papilionis imagine deſignatur; animuſque ipſe, vel Pſyche non aliis, quam papilionis, alis inſtruitur; neque alia fere, quam papilionis, imagine exprimitur. Sic, ut a Nummo noſtro digrediar, in Anaglypho Romae poſito (3) Pallas humano capiti a Prometheo recens formato papilionem admovere conſpicitur. In alio (4) papilio ipſe ex effoeto morienteque corpore evolare videtur. Alibi (5) Cupido papilionem accenſa face exurere; alibi (6) papilionis alas arbori clavis affigere obſervatur. Denique Pſyche papilionis alis inſtructa in Gemmis ac Monimentis aliis occurrit (7), in qui-

(1) In Catone c. 21. (2) Plut. de Plac. Phil. Lib. I. c. 9.
(3) Bonarr. Obſerv. ad Vitra pag. 197. (4) Spon Miſcell. Erud. Antiq Sect. I. Art. 3. Tab .... (5) Spon. ibi Tab. 6.
(6) Spon. ibidem Tab. 8. (7) V. Muſ. Florent. Vol. I.

quibus *Cupidinis*, & *Pſyches* hiſtoria, nuptiaeque ab Apuleio, Fulgentio, Capella, aliiſque Mythologis memoratae deſcribuntur.

V. Eximiam hanc autem & elegantiſſimam *Pſyches*, & *Amoris* Fabulam, qua ipſorum nuptiae, foedera, atque coniunctio exprimitur, ita Doctiſſimi viri partim ex Platonicae, partim ex Chaldaicae doctrinae dogmatis explicarunt, ut varias ſimul cauſſas exponerent, quibus humanus animus alatus fingeretur, animuſque ipſe non alia, quam *papilionis* imagine, veluti ſymbolo, exprimeretur. Ac certe quidem, ut a Platonis (1) hypotheſi exordiar, divinus ille Philoſophus exiſtimavit humanos animos, dum in libero puriorique aethere verſarentur, alis inſtructos fuiſſe, ut celeri ac irrequieto motu volucrem ſupremi Numinis currum ubique ſequerentur. Vbi vero animis ipſis alae defluxerant, eos in ima decidere, corporibuſque veluti carceri coniungi putavit; donec pulchritudinis adſpectu, amoriſque viribus iterum renatis, alis inſtructi priſtinam veluti ſpeciem atque indolem aſſequuti, ad caeleſtia rurſus adſpirarent, priſtinamque vim, ex qua exciderant, obtinerent. Eadem Porphyrius (2) ex Veterum ſententia nobis expoſuit, a quibus animos non alis ſolum inſtructos; ſed etiam *Apum* nomine deſignatos eſſe, teſtatur; idque praeſertim ex Chaldaicae doctrinae fontibus hauſtum oſtendit Pſellus (3), qui animos una cum alis creatos eſſe putarunt, atque ob πτεροῤῥύησιν in corpora deſcendiſſe; iterum renatis alis perenni quodam circuitu

(1) In Phaedro. (2) In Antro Nympharum. (3) Compend. Doctrin. Chaldaeor. pag. 91. vid. Cleric. Phil. Orien. Lib. I. Sect. I. c. 10.

tu ex uno in corpus aliud migrare, novoſque ſubinde ſtatus, ac formas induere exiſtimarunt. Itaque Sponius, Bonarrotius, ceterique ſapientes omnes, qui vetera id genus monumenta explicanda ſuſceperunt, morem quo humanus animus, aut *Pſyche* alis inſtructa Amorique coniuncta nobis occurrit, non aliunde, quam ex pulcherrima Platonis, aliorumque hypotheſi, profluxiſſe putarunt, qui animos ipſos alis olim inſtructos finxerunt, iterumque alis, quae incautis illis defluxerint, Amore duce, praeditos exiſtimarunt.

VI. Quandoquidem vero Plato, Porphyrius, Pſellus, aliique Veteres animum quidem, aut Pſychem alis inſtructam dixere, nihilque prorſus de eiuſmodi alarum forma, vel genere prodiderunt; in pleriſque tamen cimeliis, ac monimentis non alterius volucris, quam *papilionis*, alae humanis humeris appictae conſpiciuntur, id optime feliciterque factum Interpretes illi putarunt. Quum enim papilio varios ſubinde ſtatus immutans, modo vermis, modo veluti renaſcens papilio volucris; iterumque fere moriens in vermem, moxque redivivus in volucrem transformetur; hac perenni ſtatuum viciſſitudine perennem atque immortalem animi naturam accuratiſſime exhibere videtur (1). Ex altera quoque Platonis, atque Pythagorae ſententia imaginem illam exprimendique papilionis morem profluxiſſe putant, qui *revocabilem illum*, ut Tertulliani verbis utar, *animarum recidivatum ſemper & alterna mortuorum, & viventium ſuffectione* admiſerunt: quum perennis ille animorum circuitus atque migratio papilionis imagine ſatis accommode deſignaretur.

Fieri

(1) Spon. ad Tab. III.

Fieri quoque potuiſſe arbitrantur, ut animo, tenui nimirum volucrique ſubſtantiae feliciter exprimendae *animalculum prae reliquis omnibus*, ut Plinius (1) ait, *imbecille & fluxum* adhiberetur; quumque anima *aër*, *ventuſque ſit*, *aërei leviſque volucris* ſymbolo exprimeretur. Atque inde prorſus factum exiſtimant, ut una eademque vox Ψυχὴ *Pſyche* apud Graecos, tum *animam*, tum *papilionem* quoque ſignificet; perinde quaſi papilionibus, atque animo, non modo natura atque alae; ſed ipſum quoque nomen commune eſſe debuerit. Itaque Sapientes illi, qui animi noſtri naturam affini quadam ſimilique imagine exprimere conabantur, *papilionis* alas ipſi conceſſere. ut pulcherrimo hoc ſymbolo ipſius naturam deſignarent.

VII. Haec fere ſunt PRINCEPS ORNATISSIME, quae a Sponio, Auguſtinio, Bonarrotio ceteriſque Interpretibus ſubtiliter inventa, ingenioſe eleganterque expoſita ſunt, ut morem a Pictoribus uſurpatum aſſererent, ſimulque cauſſam exponerent, qua papilionis alae humanis animis appictae fuerint; ac papilionis imagine animus ipſe veluti ſymbolo exprimeretur. Non is profecto ego ſum, qui clariſſimis viris quidpiam detrahere, veteremque opinionem, quae ipſorum animis alte inſederit, extorquere velim. At, niſi plurimum fortaſſe ego fallor, Artifices illos, qui omnium primi humanos animos papilionis imagine deſignarunt, longe doctiores politioreſque effingimus, quam rudis illa temporum conditio patiatur; eoſque non Graecae ſolum, ſed Barbaricae quoque, Arabicae, Aegyptiae, Chaldaicae docti-

(1) Libr XVIII. c. 25.

ctrinae myſteriis initiatos ſupponimus; adeoque in explicandis eiuſmodi imaginibus ad fontes illos confugimus; perinde quaſi non temere atque inconſulto, ſed arcanae ſolum penitioriſque doctrinae face ac praeſidio a Pictoribus expreſſae fuerint. Ac certe quidem id pleriſque Scriptorum aut Monimentorum Interpretibus vitio verti ſolet, quod in iis, quae explicanda ac illuſtranda ſuſceperant, elegantias illas atque ſententias deprehendiſſe, atque intueri propemodum videantur, de quibus Scriptores, ac Pictores illi ne ſomniando quidem cogitarunt; idque ex Etruſcae, Chaldaicae, ac Sinicae doctrinae fontibus hauſtum dicatur, quod e trivio ſolum, vulgatiſque hominum opinionibus acceptum fuerat. Exemplis, quae innumera proferri facile poſſent, hic afferendis, haud immoror, ne in re perſpectiſſima, cordatiſque viris iam ſaepius obſervata, tempus, operamque terrae hic videar. Exemplis autem illis, niſi mea me fallit opinio, hoc etiam accenſeri facile poſſit, quo humanos animos non alia, quam *papilionis* imagine, rite feliciterque expreſſos eſſe arbitrantur; quod nimirum volucris ille varias interitus ortuſque vices expertus, redivivus, iterumque moriens perennem atque immortalem animi noſtri naturam exhibeat: perinde quaſi in uſurpanda ſeligendaque *papilionis* imagine Pictores, aut Sculptores animae vires atque affectiones a Chaldaeis, Aſſyriiſque traditas ſubtiliter exploraverint. Accedit etiam, quod ſi perennis illa ac immortalis animi natura exprimenda fuerat, temere prorſus atque infeliciter volucris eius imagine adumbrata foret, quae aliorum animantium inſtar interire conſpicitur. Quid vero quod papilionem ipſum modo immortalem, modo prae re-

liquis imbecillum aſſerunt; adeoque modo immortalitatis, modo citiſſimi interitus imaginem eſſe volunt? Quod ſi fortaſſe quis dixerit *papilionis* imagine varios ſolum animi ſtatus, ac viciſſitudines adumbrari; ut quemadmodum papilio nunc alis inſtrui, nunc illas amittere, nunc inſtaurare conſpicitur; ita animus ipſe corpore ſolutus, aliſque praeditus exprimatur; cur in veteribus monimentis illis *papilio* ſemper occurrit; quum tamen varietas illa ſtatuſque mutatio plurimis etim inſectis aliis conveniat? Cur non apis etiam obſervatur; quum praeſertim animi, Porphyrio teſte, *apis* nomine deſignari conſueverit? Cur non volucres aliae, in quibus aut acrior induſtria, aut maior cum humanis animis affinitas, ac ſimilitudo conſpicitur?

VIII. Siquid ego coniecturis hic aſſequor, mos ac ritus ille, quo mens humana *papilionis* imagine deſignatur, non ex miris eiuſmodi volucris affectionibus, atque natura; non ex ipſa animi immortalitate, circuitu aut tranſmigratione, non ex Chaldaicae, Graecaeque ſapientiae fontibus, non ex arcanis Amoris myſteriis; ſed ex ſola potius Artificum, Pictorumque ruditate profluxit; qui quum *animum* exprimere ac deſignare cuperent, eam prorſus imaginem ac ſymbolum uſurparunt; quo conſpecto *animi* ipſius idea repente in inſpectantium animis excitaretur. Itaque, quum veteri iam receptoque loquendi more *pſyches* nomine tum *papilio*, tum *animus* exprimeretur; Pictor ille, qui omnium primus animum capiti inſertum exprimere conabatur, papilionis, aut *pſyches* imaginem ſculpſit; eaque imagine vocem *pſyche*, ſimulque animum ea voce expreſſum obiecit,

oit. Quum Pictor alius animum e moriente corpore evolantem exprimere conaretur, papilionem ex ore prodeuntem effinxit, eoque ſigno eſt conſequutus, ut vocis *pſyches*, ſimulque ex idearum foedere ſive ſecundaria quadam & acceſſoria vocum ſignificatione, *animi* idea repente excitaretur. Itaque exprimendae animi naturae non apis, non chyſalis, non volucris, aut nobilius inſectum aliud, ſed ubique *papilio* uſurpatus fuit; quod ille ſolum *pſyches* atque *animi* nomine vocaretur, adeoque animi ideam repente excitaret.

IX. Certe non aliud, quam rude hoc conſilium, Pictoribus afIulſiſſe concedet, qui ex vetuſtis probatiſque Scriptoribus intelligat, ita a Veteribus imagines efformari conſueviſſe, aut iis rei depictae nomen graecis characteribus adiungeretur. Aelianus (1) *ὕτως ἄρα ἀτέχνως εἴκαζον τὰ ζῶα ὥςε ἐπιγράφειν ἀυτοῖς τὺς γραφέας τῦτο Βῦς, ἐκεῖνο Ἵππος, τῦτο Δένδρον*: *adeo ruditer ſimulabant animalia, ut inſcriberent iis Pictores hoc eſt Bos, illud Equus, hoc Arbor*. Ita Plinius (2) aſſerit, Ardicem Chorinthium, ac Telephanem Sicyonium lineas intus ſpargentes ſine coloribus, imagines effinxiſſe; *ideo & quas pingerent adſcribere inſtitutum*. Pauſanias (3) memorat Polignotum, eximium illud pictoriae artis miraculum, imaginibus a ſe pictis nomina adieciſſe; alibique (4) Cypſelidarum arcam, plurimaſque virorum ac mulierum effigies in hoc Anaglypho inſculptas deſcribens, ait: *Δηλοῖ μὲν δὲ κ̀ τὰ ἐπιγράμματα, συνεῖναι δὲ κ̀ ἄνευ τῶν ἐπιγραμμάτων ἐςὶ, Θά-*

(1) Var. Hiſt. Lib. X. c. 10. (2) Lib. XXXV. c. 3.
(3) Phocic. c. 25. & 26. (4) Eliac. I. c. 17.

νατόν τε εἶναι σφᾶς, ϰ Ὕπνον, ϰ ἀμφοτέροις Νύκτα αὐτοῖς τροφὸν: *indicant inſcriptiones, quod facile tamen etiam ſine inſcriptionibus coniicere licet, unum Mortem eſſe, alterum Somnum; mulierem illam Noctem utriuſque nutricem*. At, ne vetuſtioribus exemplis aliis hic immorer, Bonarrotius (1), & Fabrettus varia ex ſequioris etiam aetatis operibus exempla profert, in quibus, ut tumulati viri aut mulieris nomen exprimatur, Daphne in arborem converſa, taurus, porcus, aſinus, aut alia id genus inſculpta conſpiciuntur; ex quorum obtutu defuncti nomen animo occurrere repente poſſet. (2) Ceteris autem illuſtrius, reique noſtrae magis appoſitum cenſeri facile poterit exemplum aliud, quo exprimendo *Lacciae* defuncti nomini, piſcis ille Sarcophago inſculptus conſpicitur, qui a Latinis *Laccia* vocatur. Neque huic diſſimile cenſeri poterit exemplum illud, quod a Plinio (3) memoratur, Batrachum nempe & Sauron Architectos, quum publicis monimentis nomina ſua inſcribere prohiberentur, eorum animalium imagine, veluti ſymbolo, deſignaſſe, quae iiſdem nominibus appellabantur: *Batrachum, & Sauron Lacones Architectos in columnarum ſpiris inſculpta, nominum eorum argumenta, Rana, & Lacerta*. Sed omnium tamen inſtar haberi merito poterit exemplum illud, quod in Prolegomenis (4) *ad Graecorum Notas* expoſui, ubi Cicero (5): τοῖς Θεοῖς ἀνάθημα ποιούμενος ἀργυροῦν τὰ μὲν πρῶτα τῶν δύο ὀνομάτων ἐπέγραψε τόν τε Μάρκον, ϰ τὸν Τύλλιον, ἀντὶ δὲ τοῦ τρίτου σκώπτων, ἐρέβινθον ἐκέλευσε παρὰ τὰ γράμματα τὸν τεχνίτην ἐκτο-

(1) Obſervat. ad vitra pag. 74. (2) Inſcript. Cap. III. pag. 222. (3) Lib. XXXV. c. 5. (4) Pag. XII. (5) Plutar. in Cicer.

τορεῦσαι: *donum argenteum Diis conſecravit, in quo initia inſcripſit duorum nominum Marci Tullii; tertii loco ludens, cicer iuſſit artifici proxime illas literas incidere*. Itaque, ſi a politioribus etiam meliorisque notae Pictoribus id aliquando uſurpatum conſpicimus, dubitari certe non poterit, quin ubi picturae, & ſculpturae artes adhuc rudes & incultae forent, nondumque certa quaedam rerum, praeſertim quae incorporeae abſtractaeque forent, ſymbola, veſtes, ac inſignia recepta fuerant, quibus ipſae res apte deſcribi, certiſque fere characteribus deſignari poſſent, tunc voces exprimendis illis iam uſurpatae, aut res aliae inſcribi, ſive depingi potuerint; quae, quum una eademque voce exprimerentur, ut a Cicerone factum conſpicimus, vocis ideam, adeoque rei depictae imaginem excitarent.

X. Quid ergo mirum ſi Pictor ille, qui primus humanos animos aut corpori infuſos, aut a corpore exeuntes, aut in aëra volitantes exprimere conabatur, non aliud imaginis genus magis accommodum vivaxque invenerit, quam *papilionem*, qui quum Graeca voce, animi inſtar, ψυχὴ, *pſyche* dicatur, animi ideam repente in inſpectantibus excitaret? Quandoquidem vero figmentum illud & elegans, & opportunum maxime videri debuit; mirari plane non poſſumus, ſi non modo animis, quibus plerique veterum alas addiderant, ut celerem, vividumque ac perennem ipſorum motum exprimerent, alatae volucris ſpecie expreſſerint, quod in Geniis etiam, Amore, Fama, Gloria, Themide factum conſpicimus; verum etiam animis ipſis non alias, quam papilionis, alas adiecerint; & hac una papilionis ima-

gine animam deſignaverint. At neque Veteres ipſi ea ſolum de cauſſa, quam hactenus explicavi, pulcherrima papilionis idea animum expreſſere; verum etiam adulta iam florenteque pictoria arte, variiſque Philoſophorum ſententiis liberius evulgatis, animae ſedem ſubtilius deſignarunt. Ita, quum plurimi ex Philoſophis exiſtimarent, animi ſedem in capite collocari, papilionem ipſum a Pallade humano capiti admotum, ac veluti inſertum expreſſere, ut in eximio Nummo noſtro conſpicitur; eaque prorſus ratione in Romano Sarcophago apud Sponium reperitur. Quum tamen pluribus aliis arriſiſſet, animum in thorace, vel pectore reperiri, in Gemma quadam apud Auguſtinium (1) papilio pectori admovetur: perinde ac ſi in illo recipi, inferique deberet. Quum plerique Veteres animam unam humano corpori coniunctam eſſe cenſerent, papilionem unicum ex moriente corpore egreſſum, atque in aëre volitantem expreſſere. Alicubi tamen, ut in Antoniae Panaces Sarcophago (2), duplex papilio ex cadavere veluti erumpens conſpicitur, quod duplicem animam nobis ineſſe putarent; niſi fortaſſe papilio, qui involucris ore conſpicitur, exprimat animam ipſam ex infantis corpore avolantem involucris corpus ingreſſam eſſe. Sed haec, aliaque id genus plura ſequioribus ſolum temporibus invecta, atque a politioribus ſolum Sculptoribus uſurpata fuiſſe iam monui, quum Philoſophicae quoque ſententiae variis imaginibus adumbrari coepiſſent. Quod enim ad primam papilionis exprimendi originem, cauſſamque pertinet, probe iam vides hunc morem, quo

(1) Gemmae Antiq. Par. II. Tab. 74. pag. 25.
(2) Spon. ad Tab. VII. & VIII.

quo papilionis alae animo affinguntur, aut animus ipſe papilionis imagine veluti ſymbolo deſignatur, temere prorſus ex Aegyptiae, Chaldaicae, Platonicae doctrinae fontibus derivari; quum nativa potius facilique ratione ex ſola Pictorum licentia, ex veteri rudique pictoriae artis conſuetudine; ex ſolo demum nomine, quod utrique fortuito commune fuerat, oriri potuerit.

XI. Quod ſi fortaſſe poſtremo loco nunc rogites, cur unum idemque *pſyches* nomen & *animae*, & *papilioni* indi potuerit; utrum nempe vox illa ab anima ad papilionem, an viciſſim a papilione ad animum tranſlata fuerit; facile quidem cauſſas exponere profecto poſſim, quae ab aliis inventae fuerint; vix vero, ac ne vix quidem, veram ſinceramque cauſſam coniicere me poſſe confidam. Si diligentes illos veterum Monimentorum Fabularumque Interpretes conſulas, facile vocem hanc a papilione ad animum tranſlatam putaveris: quod anima, papilionis inſtar, imbecillis, aërea, levis, ſimulque tamen perennis ac rediviva cenſenda ſit, idemque ille animorum alatorum circuitus; adeoque Chaldaicae doctrinae ſplendor Homero ceteriſque Graecis affulſerit; ut proinde cognitionis huius praeſidio tum animo, tum volucri commune nomen indiderint (1). Mihi vero nomen illud neque ab animo ad papilionem neque ab iſto ad illum tranſlatum; ſed utrique potius fortuita, recta tamen ratione, conceſſum videtur. Atque illud in primis obſervari plurimum debet, quod ψυχῆς nomen ita ab Ariſtotele (2), atque Plutarcho (3) uſurpatur, ut ambi-

(1) Vid. Bonarr. pag. 193. (2) Hiſtor. Anim. Lib. V. c. 19.
(3) Sympoſ. Lib. II. quaeſt. 3.

biguum plane ſuperſit quodnam ex pluribus erucarum, aut papilionum generibus exprimat. Ita propemodum Heſychius ipſe adnotavit: Ψυχὴ. Πνεῦμα, καὶ ζωΰδιον πτηνόν: *Pſyche. Spiritus, & animalculum alatum*. Itaque ambiguum plane obſcurumque foret, quid Veteres illi *pſyches* nomine intellexerint; cuique papilionum generi nomen illud conceſſerint. At inſignis alter Heſychii locus nitide diſerteque demonſtrat, ψυχῆς nomine, illud unum papilionis genus a Veteribus expreſſum eſſe, quod ab Italis *Farfalla* appellatur. Ait enim Φάλλη. ἡ πετομένη ψυχή. *Phalla, alatus papilio*; unde reduplicata priori ſyllaba, *Farfalla* nomen erupuit. Perſpicuam hanc Italicae, vel Etruſcae vocis originem, ſimulque argumentum, quod ex eiuſmodi Graecae, Etruſcaeque vocum ſimilitudine iam protuli, graviſſima quoque Etruſcorum Poetarum principis auctoritas egregie confirmat, qui humanos animos huic uni papilionis noſtri generi comparavit; adeoque non alia, quam papilionis illius imagine, animos ipſos a Veteribus adumbratos eſſe demonſtravit, qui ab Etruſcis *Farfalla* appellatur. Etenim divinus ille Philoſophus, Theologus etiam, ac Vates Alighierius, qui coaevos Scriptores beata quadam ingenii, atque omnigenae eruditionis ubertate facile ſuperavit, ita homines alloquitur (1):

O ſuperbi Criſtian, miſeri, laſſi,
Che della viſta della mente infermi,
Fidanza avete ne' ritroſi paſſi:
Non v' accorgete voi, che noi ſiam vermi,
Nati a formar l' Angelica Farfalla,
Che vola alla giuſtizia ſenza ſchermi!

Di

(1) Purgat. Canto X. verſ. 121.

Di che l'animo voſtro in alto galla?
Voi ſiete quaſi entomata in difetto,
Siccome verme, in cui formazion falla.

Quis hic aperte non videat, quod humanus animus, qui corpori veluti carceri includitur, eiuſque affectibus obruitur, a Poëta noſtro *vermis* vocatur; atque ubi animus ipſe vel e corpore liber exceſſerit, atque renatis fere alis ad ſuperos evolaverit, ſive certe corporeis affectibus dominetur; tum demum vere ψυχὴ, φάλλη ſive *Farfalla* futurus aſſeritur? Hinc optime elegantiſſimeque ſubdit Poëta, quod quum plurimi caeleſtis divinaeque originis immemores, corporeis affectibus opprimantur, neque purius illud iuſtitiae, ac rationis lumen ſequantur, quo ad caeleſtia dirigi, vel adſpirare deberent; ii graeca voce ἐκπτώματα ſunt appellandi, vermibuſque propemodum comparandi, in quibus abſolvendis plaſtica vis aberraverit, ut rite perfici, volucriſque vires atque alas obtinere non poſſint. Itaque ex pulcherrimo eximii Vatis teſtimonio perſpicue apparet, non modo quod praeſtantiſſimo Etruſcorum Vati veterum Fabulae, ac Monumenta quoque perſpecta fuerant; verum etiam quod ψυχῆς, aut φάλλης nomine hoc ipſum papilionis genus ab Heſychio ceteriſque Veteribus deſignatur, quod ab Italis *Farfalla* vocatur. Ac certe quidem in Nummo noſtro, ceteriſque Monumentis omnibus, quibus anima papilionis imagine indicatur, *Phalle* ipſa, ſive *Farfalla*, notiſſimum atque albicans inſecti volucris genus, conſpicitur. Cur vero, inquiet quiſpiam, huic uni potius, quam alteri, erucarum, ac papilionum generi *animi*, ſive *pſyches* nomen tributum fuit? Ab eiuſmodi vocum ori-

gine

gine exploranda libentius abſtineam, quippe qui viderim in eiuſmodi vocum etymis inquirendis definiendiſque doctiſſimos etiam Viros alicubi genio ludicriſque opinionibus liberius indulſiſſe. Ne tamen extremam hanc argumenti partem diſſimulare ego videar; divinando fere, mihique ipſi diffidens exponam, quid priſcos illos nominum inventores fortaſſe impulerit, ut huic animalculo *pſyches*, ſpiritus, venti, animique nomen imponerent.

XII. Iam Eruditis omnibus eſt obſervatum, *pſyches* animique vocem a ſpiritu, vento, frigore, vel refrigeratione deductam eſſe: perinde quaſi Veteres animam in aëre, qui inſpirando, exſpirandoque ducitur, inſitumque pectori calorem temperet atque refrigeret, collocatam eſſe putarent; adeoque animam ψυχὴν, veluti ψύξιν vocarunt. Ita ex Latinis Varro: *Anima eſt aër conceptus ore, deferrefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus*: ex Graecis vero Plutarchus (1) ὅθεν ὐκ ἀπὸ τρόπυ τὴν ψυχὴν ὠνομάσθαι παρὰ τὴν χύξιν: *itaque animam non abs re pſychen a refrigeratione dici*. Itaque quidquid refrigerando aptum erat, quidquid ciendo, excitandoque frigori conferre poterat, inflexa voce ψυχὴν, aut ψυκτήριον vocarunt. Hinc ψυγεὺς, φυχτερίδιον, *pſychteres* calices frigefaciendo vino accomodati; ψύχια loca frigefaciendae aquae deſtinata; *Pſychaſtae* pueri, qui aëre flabellis leniter agitato caloris aeſtus temperarent; nihilque veriſimilius, quam a Veteribus flabella quaedam adhibita fuiſſe, quae quum frigori excitando uſurpata

(1) De Repugn. Stoic.

pata forent, a *Pſyche* nomen acciperent. Optime quidem video, quod a Polluce (1) eiuſmodi *flabelli* genus ῥιπὶς vocatur; quemadmodum ab Heſychio erudimur, Veteres διὰ ῥιπισμῦ καταψυχειν, *flabelli ope refrigerari* conſueviſſe. At Pollux ipſe (2) muliebrem mundum deſcribens, ait: ϗ ῥιπὶς. ϗ σκιάδιον; idque Strattidis Comici verbis confirmat, qui in *Pſychaſtis* προειπὼν ῥιπίδα ἐπήγαγε εἴτε σκιάδιον: *flabello praemiſſo, mox umbraculum ſubiunxit*: unde perſpicue erudimur, quod apud Graecos ῥιπὶς, ac σκιάδιον flabelli genus eſſe debebat. Eiuſmodi vero flabellum, quod a Polluce ῥιπὶς, & σκιάδιον vocatur, a Comicis ipſis πτερὸν, *ala* vocabatur; quod alae formam, atque imaginem exhiberet: ϗ πτερὸν δὲ. τὸ σκιάδιον ὁι Κωμῳδοποιοὶ κάλυσι: *umbraculum vero ala a Comicis appellatur*. Quid itaque prohibet, quin priſcis illis temporibus flabella tenui levique tabella, ut ait Ovidius (3), efformata fuerint, figuraque ſua papilionis alas expreſſerint; adeoque Veteres, qui in papilionibus ipſis tenui corpuſculo pandas ac ingentes alas flabellis ſimiles inſpexerant, ipſos a ciendo aëre, ac refrigerandi idea, quam ex flabellis hauſerant, *pſychas* vocaverint? Ita certe diſtincta quaedam ac peculiaris vocis origo haberetur, quae huic potius, quam alteri, papilionum generi conveniret. Quod enim papilio fluxum, leve, aëreum, imbecille volucris genus dicatur, id alteri quoque erucarum generi convenire poterat; nihilque prorſus imbecillitas illa cum ψυχῆς voce commune habere poterit. Ita propemodum *papiliones* ipſos a Lati-

(1) Suid. & Athen. Lib. VI. c. 3. & XI. c. 15. (2) Lib. X. c. 23. ſeg. 94. (3) Seg. 127. (4) De Art. Amand. Lib. I. v. 161.

Latinis vocari conſpicimus, quod nomen *tentoriis*, alis, volucrique noſtro commune eſſe debet; tentoriiſque nomen ex eius animalculi *alis* derivatum fuit; quae, ſi cum ipſa corporis mole conferantur, magis pandae extentaeque ſint. Quod ſi latina *papilionis* vox a *papando* potius derivata dicatur, quod ille favos ac mellla depaſcatur, malvarumque ſuccos exſugat; unde malva ipſa apud Germanos eodem ipſo *papilionis* nomine nuncupatur; quis exinde quoque non videat eiuſmodi nomina, quae animantibus olim a rudibus praeſertim hominibus impoſita ſunt, non ex arcanis Philoſophorum dogmatibus, ſed extrinſeca potius rudique animalium figura, aliiſque id genus, derivari conſueviſſe; ut pari proinde meliorique iure *pſyches* nomen ex ſola alarum figura ciendo aëri accomodata, flabelloque perſimili, concedi potuerit? Sed levibus coniecturis iſtis diutius immorari iam pudet.

XIII. Id unum potius ſupremo tandem loco explorandum occurrit, cur in adverſa Nummi noſtri parte, qui ANTONINI Caeſaris imagine inſignis eſt, Prometheus humanum corpus e luto fingens, ac Pallas humano capiti ſub *Pſyches*, aut *papilionis* imagine animum inſerens, exprimatur. Si characteres aliqui in ea Nummi facie reperirentur, quibus aut Populi aut Vrbis nomen exprimeretur, ubi Nummus ille cuſus fuit, facile exinde deduci poſſet, cur Promethei fabula in Nummo expreſſa foret. Illud enim ſaepiſſime in Graecis praeſertim Populorum Nummis obſervatur, quod in adverſa ipſorum parte Heroes, aut Numina inſculpi conſueverint, quae peculiari quodam honore apud illos colebantur. Itaque, licet Prome-

me-

metheus apud Lucianum (1) afferat nullibi ſibi Templum dicatum eſſe; compertum eſt tamen in variis Graeciae Vrbibus illi honores decretos, excitatas aras, Feſta quoque magnifica celebrata fuiſſe. Ita nimirum Athenis ara Prometheo dicata fuerat (2); atque ab illa in Promethiis Feſtis, de quibus in Faſtis Atticis (3) opportune iam dixi, adoleſcentes accenſam facem manibus gerentes curſum auſpicabantur. Quemadmodum ergo ſaepiſſime in Graecis praeſertim Nummis, atque in illis etiam, qui Antonini Caeſaris nomine ſunt inſigniti, *Hercules*, *Aeſculapius*, *Dioſcuri*, *Amazones*, *Gratiae*, *Triptolemus*, *Theſeus*, aliique Heroes occurrunt (4); ita facile Prometheus ipſe inſculpi poterat. Quandoquidem tamen Nummus iſte a Latinis, atque fortaſſe Romae, cuſus videtur, Promethei imago alia de cauſſa in illo expreſſa cenſeri debet. Itaque cum Spanhemio, Vaillantio, Liebe, ceteriſque Nummorum Interpretibus obſervari facile poterit, quod ſaepiſſime in adverſa Nummorum parte, qui in Caeſarum honorem cuſi fuerant, Heroes illi, vel Numina exprimi conſueverunt, quorum virtutes atque facinora a Caeſaribus illis imitata videbantur. Hinc in Poſtumi, Maximiani, Commodi, Hadriani Nummis *Hercules* obſervatur: idemque Hadrianus Ἡρακλῆς Ῥωμαῖος vocatur, quod Herculis inſtar labores, ac itinera ſuſcepiſſet, ut ſublatis infeſtis hominibus, Rempublicam iuvaret. Nec alia de cauſſa in Antonini Caeſaris Nummis *Hercules* ipſe, *Theſeus*, *Aeneas*, *Horatius Cocles* occurrit; niſi quod eiuſmodi ſymbolis Romani cives eximias Antonini virtutes, reſque ab illo praeclare geſtas expri-

(1) In Prometh. vinct. (2) Pauſ. Attic. c. 30. (3) Tom. II. p. 367.
(4) Vaill. Nummi Graeci pag. 41. & Latin. Tom. III. pag. 122.

exprimere voluerunt. Itaque quum Prometheus *Providentiam* re nomineque ipſo ſignificet, facile Nummi ſcalptor hoc ſymbolo, Prometheique imagine Caeſaris *Providentiam* deſignare voluit; quemadmodum in Caeſarum, atque in ipſius etiam Antonini Nummo latino, PROVIDENTIA AVGVSTI (1) reperitur: & in elegantiſſimo Graeco Numo apud Vaillantium ipſum (2) in adverſa parte ΠΡΟΝΟΙΑ *Providentia* ipſa ſuis characteribus aut ſymbolis inſignita conſpicitur. Hanc vero *Providentiae* laudem optimo maximoque iure Antonino Pio providentiſſimo Caeſari conceſſam fuiſſe Capitolinus oſtendit, qui *tanta ſane diligentia ſubiectos ſibi populos rexiſſe* eum dicit, *ut omnia, & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret*.

XIV. Neque *Providentia* ſolum, quae in Antonino Caeſare eximia fuerat, ſed humanitas etiam, ac beneficentia, qua piiſſimus Princeps excelluit, hac Promethei imagine deſignari facile potuit. Etenim Prometheus, ut Luciani (3) verbis utar, καθ᾽ ὑπερβολὴν φιλάνθρωπος fuit. Itaque neque elegantior, neque opportunior alia humanitatis, ac beneficentiae imago reperiri potuit, quam Promethei imago & hiſtoria, quae in adverſa Nummi parte inſculpta, Caeſariſque imagini coniuncta foret. Id vero pulcherrime Antonino Caeſari adſcribi vel convenire poterat, qui humanitate, munificentia, ac liberalitate ceteros antecellere videbatur; ut a Capitolino *vere natura clementiſſimus, ad indulgentiam proniſſimus* dicatur; cum *nihil temporibus ſuis aſperum fecerit*, ſaepiuſque in ore habuerit, *malle ſe unum Civem ſer-*

(1) Vaill. Tom. III. pag. 123. (2) Tom. II. pag. 165.
(3) De Sacrif.

ſervare, quam mille hoſtes perdere. Hinc ille octies congiaria, vel liberalitates largiri voluit; unde ſaepius in Nummis ipſius LIBERALITAS, ac MVNIFICENTIA memoratur (1) Sic etiam *Pietas*, quae Antonini Caeſaris propria ita fuit, ut Decreto publico *Pii* nomen acceperit, Promethei ſymbolo facile expreſſa fuit; ut quemadmodum in aliis Antonini Nummis *Pietas* obſervatur (2); ita in hoc alio *Pietas* ipſa Promethei imagine deſignaretur. Denique, ne coniecturis aliis hic immorer, in eleganti Antonini Caeſaris Nummo (3), & quidem maximi moduli edito a Clariſs. Gorio in Muſeo Florentino Tab. XXI. num. 1I. ipſe a S. P. Q. R. AMPLIATOR CIVVM vocatur, quod in augendo ampliandoque Civium numero ſtudium atque operam collocaverit. Eiuſmodi vero cura, paternumque ſtudium non incommode Promethei fabula, vel imagine adumbrata foret, qui hominum genus inſtauraſſe ac reparaſſe dicebatur. Quandoquidem vero in antica vel principe Numi facie *Tribuniciae Poteſtatis* anni non exprimuntur, annus ille verumque tempus definiri non poterit, quo elegans hic Nummus cuſus fuerit; adeoque cum rebus ab Antonino pie, humaniter, provideque geſtis conferri non poterit. Id unum ex appoſita Conſulatus nota deduci poteſt quod Nummus ipſe poſt annum Chr. 140. & ante 145. percuſſus fuit. Siquidem Antoninus anno 140. *tertio* Conſul proceſſit, & anno 145. *quartum* Conſulatum ſuſcepit. Itaque, quum in Nummi epigraphe *Conſul III.* dicatur, Nummus ille ad intermedium annum aliquem ſpectavit, ad quem facile plerique ſuperiorum referri

(1) Vaill. Tom. III. pag. 128. & II. pag. 162.
(2) Vaill. Tom. pag 77. (3) Geſner. ex Spanh. p. 117. Tab. I. 1.

ferri debent, in quibus adiecta *tertii* Conſulatus nota ipſius *Providentia*, *Pietas*, *Liberalitas*, Civiumque augendorum amor exprimitur.

Hanc igitur lucubrationem meam benigno animo accipe, PRINCEPS ERVDITISSIME, perpetui obſequii erga Te mei monumentum; quum in Te invenerim, quam in Antonino Pio laudavi, non ſolum ſingularem in me humanitatem, verum etiam egregiam liberalitatem ſumma cum benevolentia coniunctam; & quemadmodum ille Civium Romanorum amplificator fuit; ita tuis laboribus, & favore litterariam Rempublicam mirifice amplificandam mihi auguror, ac plane promitto.

LXI-

EXIMIO PRAESTANTIQVE VIRO

D. PETRO ALOYSIO GALLETTIO

MONACHO CASSINENSI

In Flor. Abbatia Phil. & Mathem. Proſ.

DISSERTATIO IV.

VBI primum de Latina quadam Epigraphe, quae paucis ab hinc annis e *Vico Piſano*, haud ignobili Piſanae Ditionis oppido, Piſas migravit, quum in Vico ipſo non ita pridem, ut ego pluribus certiſque indiciis conieceram, effecta foret, vel proferenda vel accuratius exploranda cogitavi; tuum repente nomen, GALLETTI HVMANISSIME, eiuſque operis ac ſtudii ratio animo obſervari coepit, in quo ſuperioribus annis diuturnam ac diligentem operam collocaſti. Optime nimirum noveram quam acri ſolertique cura innumeras propemodum tum Graecas tum Latinas Inſcriptiones, quae ſequioribus ſolum temporibus exaratae, adeoque in editis veterum Marmorum Collectionibus ommiſſae fuerant, ex Marmoribus ipſis exprimendas, ac elegantiſſime deſcribendas ſuſcepiſti. Quod quidem conſilii ſtudiique genus tum ex praeſtantia atque ubertate, tum ex in-

credibili utilitate optimo maximoque iure probandum, ac laudandum eſſe intellexeram. Quis enim ignoret in Inſcriptionibus etiam illis plurima ſubinde occurrere, ex quibus non Hiſtoriae ſolum, ſed diſciplinis etiam aliis praeſidium, plurimuſque ſplendor accedat; ut illuſtrium Virorum aetas, verumque ab iis qua publice qua privatim praeclare geſtarum tempora publicis eiuſmodi Monimentis conſignata accuratiſſime demonſtrentur? Quis aperte non videat quod, haec ipſa Marmora eidem ferme fato, ac viciſſitudinibus obnoxia eſſe poſſunt, quae immenſam propemodum veterum Monimentorum copiam nobis eripuerunt; ut illa nimirum ſuis e ſedibus evulſa iacere aliquando debeant, aut characteres illis inſcripti inevitabili temporum iniuria fatiſcere, conſumi, exoleſcere, atque obliterari plerumque debeant? Itaque diligens ac ingenuus eruditae Antiquitatis amator e re futurum intelliget, ſi accurata quaedam earum Inſcriptionum apographa alicubi conſerventur; ut ipſorum ope Marmora ipſa veluti rediviva aliquando proferri poſſint; quemadmodum certe plurimae Inſcriptiones aliae, quae temporis hominumque iniuria iampridem exciderant, ex antiquioribus ſolum Iucundi, Alciati, aliorumque Schedis affulſerunt. Itaque praeclare de literis, Hiſtoria, atque eruditae Antiquitatis ſtudio mereris, dum pretioſa huiuſmodi Veterum Monimenta ab interitu vindicare pergis: ut quemadmodum nempe in celeberrimi Monaſterii tui Hiſtoria contexenda veteres penitioreſque rerum memorias ex tenebris, quibus circumfuſae fuerant, eruendas, plurimaque luce & elegantia decorandas ſuſcepiſti; ita quoque in hoc ipſo antiquorum Monimentorum undique colligendo-

dorum ſtudio eximiam diligentiae laudem conſequaris. Eiuſmodi vero Inſcriptionibus, quae paucis ab hinc ſeculis exaratae fuerint, Piſanam hanc etiam, niſi mea me fallit opinio, accenſere fortaſſe poteris, quae, quamvis veterem ſinceramque Graecam Epigraphem exprimat, ſequiori tamen aetate, me quidem iudice, adornata fuit. Nec alio certe conſilio tum Epigraphem ipſam, tum brevem elucubrationem hanc, qua illam liberius excutiendam ſuſcepi, Tibi uni inſcribere, & conſecrare nunc libuit, quam ut de ipſius ſinceritate iudicium ferres; ipſamque, ſi liceat, recentioribus Monimentis aliis a te collectis adiungeres. Neque illud etiam aut alienum Tibi aut iniucundum accidere fortaſſe poterit, quod in Inſcriptione ipſa ceteriſque, quae mox proferentur, Piſanae huius Vrbis, adeoque veteris originis tuae memoria obverſetur; eius nimirum Vrbis, in qua Maiores tui eximiis olim belli paciſque artibus floruere, antequam Siciliam primum, ac deinde Romam lares transferrent. Quamvis tamen haec aliaque id genus, quae ex Epigraphis indole ac veluti patria derivantur, in cauſſa fuerint ut brevem hanc Diſſertationem Tibi uni inſcriberem; hoc ipſum tamen officii genus meliori ſane ſuoque propemodum iure poſtulare a me videbatur humanitas illa, qua me, ſtudiaque haec mea complecti, ſuffragioque tuo probare conſueviſti. Quod quidem humanitatis ac benevolentiae tuae genus ex animi tui candore, ex incredibili prorſus morum comitate ac ſuavitate, ex ceteris animi tui dotibus oriri intelligo, quibus omnium amorem, Gorio noſtro auſpice, & fautore, ſtudiorumque tuorum excitatore, Tibi merito peperiſti; atque illuſtrem in primis Qvirini no-

ſtri amorem conciliaſti; qui, quum munificentiſſimus Eruditorum hominum Fautor, Iudex aequiſſimus, Maecenas optimus haberi dicique debeat, non mediocrem certe gloriam iis impertitur, quos amore ſuffragioque ſuo decoraverit. Itaque plane confido ut exiguum iſtud obſervantiae in Te meae, gratique animi pignus perhumaniter ſis excepturus; meque arctius etiam obſtringes, ſi meum de Piſanis iſtis Marmoribus iudicium eo, quo ſoles ingenuo candore, explorare, refellere, aut probare fortaſſe velis.

II. Quum paucis ab hinc menſibus ſingula Notarum, aut Compendiorum genera, quae in aereis, atque marmoreis Graecorum Tabulis obſervantur, una colligenda atque illuſtranda ſuſcepiſſem, in ipſo fere Operis limine eximium Gruteri Marmor exhibui, in quo character Ā Conſtantini Caeſaris nomini ſubiicitur, ut *primus* ipſius Conſulatus exprimatur. Itaque, quum a Noriſio (1) de *primi* quoque Conſulatus nota in Nummis, atque Marmoribus aliquando expreſſa fuiſſe eruditeque diſputatum eſſe intelligerem, teſtimonia ſingula & exempla, quae a doctiſſimo Viro prolata fuerant, explorare, unaque conferre libuit; ut infrequentior illa ſcribendi ratio accuratius oſtendi, ſimulque Gruteri Marmor, & Sigla ipſi inſcripta ab erroris ſuſpicione defendi poſſet. Quandoquidem vero monimentis aliis, quae a Noriſio proferuntur, Piſanus quoque Lapis accenſetur, in quo *Felix Herculeo Aedilis II. Conſul I.* vocatur; iſque Lapis extare dicebatur *in Horto, in quo cerae dealbantur*, Lapidis inſpiciendi amore ſtudioque incenſus, hortum ipſum adi-

(1) In Paraeneſi ad Harduin.

adivi, atque in illo praeter inſignem hunc *Felicis Herculeonis* titulum, qui iampridem a Noriſio (1), atque ex Noriſii apographo a Gorio (2) noſtro editus fuerat, tres etiam Latinas alias Inſcriptiones inſpexi, quae Gorio, ceteriſque incognitae nondum publicam, vixque privatam etiam lucem adſpexerant. Ipſarum una, quae certe integrior ceteriſque prolixior videbatur, quippe quae Lapidi ped. Rom. III. & unc. VIII. longo, & unc. XV. lato inſcripta fuerat, *Geminiae Myrtales* tumulo apposita, ipſique ab *Achille Epaphra* coniuge poſita dicebatur. Itaque, quum iiſdem fere temporibus in explicanda (3) Nota B graecam quamdam *Geminiae Myrtales* Epigraphem ab Appiano (4), Grutero (5), Gudio (6), Montfauconio (7), Gorio (8) editam inſpexiſſem, eiuſque tituli, Siglaeque memoria adhuc animo obverſaretur, repente ſuſpicari ſubiit num Latina haec Epigraphe olim a Graeca divulſa foret; adeoque Graeco Lapidi, quem ex Nardii Aedibus in ornatiſſimum Excellentiſſimi Equitis Caietani Antinorii Muſeum migraſſe acceperam, Lapis iſte iungendus eſſet. Suſpicionem hanc, quae ex primo Lapidis adſpectu ſuborta in me fuerat, neque inanem, neque falſam eſſe deprehendi; quum primum Latinae Inſcriptionis huius exemplar, quod accuratiſſime tunc exaravi, non modo cum Appiani, Gruteri, Montfauconii, Gorique Libris contuli; verum etiam cum antiquiori apographo, quod ex Mediceae Bibliothecae Codice (9) exſcriptum perhumaniter a Gorio acceperam, in quo XVII. Inſcriptiones partim

(1) Cenotaph. Piſan. Diſſert. I. pag. 41. (2) Inſcript. Etrur. Par. II. pag. 15. (3) Notae Graecorum pag. 10. & 11.
(4) Pag. 180. (5) Pag. 179. num 4. (6) Pag —— (7) Iter. Italic. pag. 202. (8) Inſcript. Etrur. Par. I. pag. 297.
(9) Plut. LXXX. Cod. XXII.

tim Graecae partim Latinae reperiuntur. Eiuſmodi vero Codicem aut a Franciſco Philelpho exaratum, aut ipſi certe coaevum fuiſſe perſpicue titulus in ipſius integumento adhuc exaratus oſtendit: Τȣ̃το Βιβλίον Φραγκίσκȣ ἐϛι τȣ̃ Φιλέλφȣ, ϗ τῶν ἀυτȣ̃ Φιλων. Singulis autem exemplis, aut Schedis illis una collatis, ceteriſque rite perpenſis, quae tum in Graeca, tum in Latina quoque Epigraphe reperiuntur, id ego facile, Galletti Clarissime, perſpicuis oppido, certiſque characteribus oſtendi poſſe putaverim, quod Latina haec Inſcriptio in Nobilium Scortiorum Inſulae Toparchorum Aedibus nunc adſervata, non modo ſpuria, & conficta cenſenda ſit, ſed ſuperiori quoque ſeculo ineunte exarata illa fuerit.

III. Atque, ut facilius Latina ipſa cum Graecis conferri, ſimulque Latinae Inſcriptionis noſtrae falſitas illuſtrius oſtendi poſſit, Graecam Epigraphem, ut a Cl. Gorio deſcripta, & expreſſa fuit, accurate prius exponam, ut exinde varietas obſervetur, quae in Appiani, & Gruteri exemplar irrepſerat. Gorius adnotavit Epigraphem hanc in pernobilis Sarcophagi medio exaratam eſſe, qui pedes VI. unc. 2. in longitudine, ped. I. unc. 4. in altitudine, totidemque prorſus in latitudine habet, quamvis Sarcophagus ille nullo anaglypho opere inſignitus ſit; ſed undique ſolum perbelle ſtriatus, & in eiuſmodi ſtriarum, ſive ornatus medio tabulam hiſce characteribus inſculptam praeſeferat:

ΑΧΙΛ-

ΑΧΙΛΛΕΤC . ЄΠΑΦΡΑ . ΤΗ
ΙΔΙΑΓΓΝΑΙΚΙ . ΓЄΜΙΝΙΑ
ΜΤΡΤΑΛΗ . ΜΝΗΜΗC
ΤЄΛЄΤΤΑΙΑC . ΧΑΡΙΝ.
ΤΗΝ COPON ЄΦω . ΜΗΔЄ
ΝΑ ΜΗΤЄ ΠωΛΗCΑΙ.
ΜΗΤЄ ΘЄΙΝΑΙ . ЄΞΟΤCΙΑΝ.
ЄΧЄΙΝ . ΠΛΗΝ ЄΙ ΜΗ ΤΙ
ΑΤΤΟC Ο ΑΧΙΛΛЄΤC.
ΠΑΘΟΙ ΤΙ ΑΝΘΡωΠΙ
ΝΟΝ . ЄΙ ΔЄ . ΤΙC.
ЄΚΒΑΛΗ . ΤΗΝ ΜΤΡ
ΤΑΛΗΝ . ΔωCЄΙ.
Τω ΦΙCΚω.
Ж ΙΒ . Φ.

Atque ita prorſus in ipſis etiam Philelphi Schedis eadem Epigraphe accuratiſſime expreſſa conſpicitur; niſi quod in illis undecim ſolum verſus efficit, in tertio legitur ΜΗΡΤΑΛΗ; poſtremuſque verſus ita in illis exprimitur:

Ж . ȷΒ . Φ

In Appiano tamen, & Grutero quoque verſuum ſeries, atque ordo ſic perturbatur, ut in exemplis illis non 15. ſed 12. ſolum verſus efficiant. In utroque ſcilicet voces illae ΜΗΤЄ ΘЄΙΝΑΙ prorſus exciderunt; ut Appianus quidem legat ΜΗΔΕ ΠΩΛΗCΑΙ ΕΧΕΙΝ ΕΞΟΤCΙΑΝ ΕΧΕΙΝ ΠΛΗΝ; Gruterus vero ſecundum ΕΧΕΙΝ expunxerit. Appianus ubique characterem Ε quadrata, & characterem Ω maiori forma exhibet, nullibique voces interiecto puncto diſtinguit; pro ΜΗΤΙ

ΑΤΤΟϹ legit ΜΗΤΤΑΤΤΟϹ: quum tamen Gruterus optime voces punctis ſecreverit, eamdemque characterum Є. Ϲ. formam ſervaverit, quae in Marmore reperitur. Quemadmodum vero uterque ex Scriptoribus illis, Appianus nimirum, & Gruterus, Graecam Epigraphem ediderunt; ita quoque Latinum ipſius interpretationem ipſorum quilibet exprimendam curavit. Itaque Graecis verſibus haec Appianus ſubiecit:

Latine verſa.

Achilles Epaphrae propriae uxori Geminia Myrtale memoriae victime gratia tamulum, in quo agrum vendere aut extra familiam ponere liceat, preterquam ſi caſu aliquo Achilles ipſe patiatur aliquid humanum. Si quis autem eiiciat Myrtalem, dabit fiſco libras

Gruterus autem ait:

Latine

Achilles Epaphra uxori ſuae Geminiae Myrtale memoriae ultimae ſepulcrum iſtud poſuit, cuius agrum vendere, aut extra familiam alienare non licebit; praeterquam ſi forte Achilli aliquid humanitus acciderit. Si quis autem eiecerit Myrtalem, fiſco inferet HS . . . .

IV. Errores, qui in alterutram ex his interpretationibus irrepſere, nihil hic moror, quum praeſertim aliqua ipſorum mentio ſit opportunius inferius reditura. Illud unum hic obſervaſſe plurimum iuverit, quod quamvis Gruterus non modo Graece, ſed Latinae quoque Inſcriptioni ſubiecerit ex *Appiano*, Latina tamen interpretatio, quae ab illo profertur, non ex Appiano exſcripta, ſed a Grutero potius, aut Aegio, aut doctis Viris aliis, qui Grutero in Graecis Marmo-

moribus latine reddendis operam contulerunt, adornata fuit. Illud etiam perſpicue certoque conſtitui poterit quod Philelphi temporibus, adeoque vertente ſeculo XV. Sarcophagus ille adhuc in *Vico Piſano* reperiebatur, quum is Epigraphi titulum hunc praefixerit *Apud Vicum Piſanum*; idemque prorſus de Appiani quoque, & Gruteri temporibus affirmaverim; quamvis Appianus illum *Piſis* extare dixerit; ſive quod *Vici Piſani* nomine peculiarem quemdam Vrbis locum deſignari putaverit, ſive quod ille Vrbis potius, quam finitimae regionis, nomen exprimere maluerit. Denique id certum atque exploratum putaverim, quod in Myrtales Sarcophago aut Piſis, aut ibi certe ubi Graeca Inſcriptio prius exſcripta Appianoque communicata fuit, Latina quaedam ipſius interpretatio minime extabat; ſed interpretationes illae ab Appiano primum, moxque a Grutero procuſae ſunt, ut Graecam Epigraphem, ac ſepulcralem titulum exponerent; quod in ſingulis fere Graecis Marmoribus a Grutero factum conſpicimus. Ac certe quidem, ſi in Myrtales Sarcophago duplex Inſcriptio, Graeca nimirum, ſimulque Latina poſita foret, ut in pluribus quidem Monimentis aliis obſervatur, facile id Appianus ipſe, vel qui Appiano ſchedam tranſmiſerat, indicaſſet; neque Gruterus novam aliam Graeci tituli verſionem adornaſſet. Atque ita prorſus Philelphus etiam, qui pag. 3. poſt Graecam *Myrtales* Epigraphem, Latinam aliam *Mercurio* ſacram exhibuit, Latinam potius ſuperioris Graecae interpretem eodem in loco poſitam, Graecaeque ſubiectam exſcripſiſſet, ſi eam nitidis illis characteribus ibi inſculptam obſervaſſet. Accedit etiam quod ubi Graeca ſimulque Latina inſcriptio ipſius inter-

interpres Monimentis inſcribebatur, haec illi ſubiici conſueverant, ut pluribus certe exemplis erudimur. At in Sarcophago, quod adhuc integrum atque ſuperſtes conſpicitur, nulla prorſus Latina inſcriptio, nullum ipſius veſtigium, nulluſque etiam ipſius exarandae locus conſpicitur: ergo utraque Latina verſio, quae vel ab Appiano, vel a Grutero expreſſa fuit, non a vetere priſcoque Graeci tituli auctore, ſed ab ipſis ſolum adiecta fuit; quum praeſertim veteres illae Graecorum Lapidum interpretationes, quae uno eodemque tempore una cum Graecis exaratae fuerant, non minori characterum forma, quos hic ab Appiano & Grutero uſurpatos eſſe conſpicimus; ſed iiſdem ipſis maioribus literis inſculpi, atque ab Appiano ipſo & Grutero exiberi conſueverint.

V. Sed quid coniecturis, & argumentis aliis hic immorer, quum errores ipſi, quibus utraque interpretatio inquinata fuit, perſpicue oſtendant, verſionem illam non a veteri manu, quae Graecam exaraverat, ſed a recente ſolum minuſque accurata, profluxiſſe? Mitto ab Appiano vocem Ε'παφρα latine in *ſecundo* caſu, a Grutero in *primo* efferri; Appiano viciſſim *Geminia* legi, quod cum Grutero *Geminiae* dicendum erat; ab Appiano reddi *propriae uxori*, quod accuratius *uxori ſuae* ſcribendum fuerat; ab Appiano ſic Epigraphes Graecae ſenſum exponi perinde quaſi *agrum vendere, aut exra familiam ponere* licuiſſet; quum tamen Graeca inſcriptio oppoſitum potius ſenſum efficiat; haec inquam, aliaque id genus ommitto. Id vero diſſimulari certe non poterit quod in Appiano legitur *in quo agrum vendere*; atque in

in Grutero *cuius agrum vendere* non licebit: quum tamen in Graeca Epigraphe de monumento ſolo, vel *tumulo*, non vero de *agro*, res ſit; ſolemnique formula caveatur ne ſepulcrum ipſum *alienari*; aut in ipſum cadaver aliud inferri, vel *poni* poſſit; ſed tunc demum tumulus ipſe aperiri, aliudque cadaver inferi poſſit, quum Achillem ipſum tumuli auctorem, ac Myrtales coniugem mori contigerit. Sed nihil eſt tamen quod utriuſque Latini Interpretis oſcitantiam magis prodat, quam poſtremae voces, quibus poena violati ſepulcri exprimitur. In Graeca Epigraphe, ut Sarcophago inſculpta fuit, atque a Philelpho, Gudio, ſimulque Gorio accuratiſſime exprimitur, poena illa *bis mille ac quingentorum denariorum* fuit, idque perſpicue Graecae ſiglae demonſtrant, ut in Opere de *Notis Graecorum* (1) opportunius obſervavi. Sed, quum Appianus, & Gruterus characterem X, qui *denarios* ſignificat, eiuſque vim aſſequuti non forent, ille *libras*, hic HS *ſeſtertios* interpretatur; quod tamen a Graecae Epigraphes ſenſu, eiuſque auctoris mente plurimum diſſidet. Quid vero quod ipſorum neuter numerales notas denariorum ſymbolo mox ſubiectas interpretatur? Quum uterque legerit ΛΒΦ, ac numerales illae Graecorum Notae hoc ordine poſitae plurimum implexae, obſcuraeque forent, Interpretes illi ipſarum vim, verumque ſenſum minime aſſequuti, eas omnino diſſimularunt. Atque optime id quidem Interpretibus obrepere, atque in iis excuſari facile poterat, qui vitiatos Marmoris characteres ex Schedis expreſſerant. At, ſi Latina Appiani vel Gruteri interpretatio antiqua, Graecoque Marmori coaeva fuiſſet; hoc eſt, ſi idem

(1) Pag. 10. & 11.

idem ille ſcalptor & auctor, qui Graecam Epigraphem Sarcophago inſculpi curaverat, Latinam quoque ipſius interpretionem edidiſſet, poneque tumulum apponi curaſſet, is nitide diſerteque Graecae inſcriptionis ſenſum ſibi perſpectum expreſſiſſet; nulluſque proinde error, aut lacuna reperiretur; ſed verus accuratuſque denariorum numerus Latinis etiam characteribus expreſſus videretur.

VI. Age vero, Latinam illam Epigraphem nunc afferamus, quae non Marmori, ſed noſtrati Lapidi inſculpta in Scortianis Aedibus obſervatur. Haec Latinis, perſpicuis, probeque formatis characteribus ita concipitur:

ACHILLES EPAPHRA
VX . S
GEMINIAE MYRTALE
M V
SEPVLCRVM ISTVD POSVIT
CVIVS AGRVM VENDERE
AVT EXTRA FAMILIAM
ALIENARE NON LICEBIT.
PRETERQVAM
SI FORTE ACHILLI
ALIQVID HVMANITVS
ACCIDERIT.
SI QVIS AVTEM EIECERIT
MYRTALEM.
FISCO INFERET
HS. ·:·

Quis hic aperte non videat, quod haec Latina Epigraphe, Graecique Marmoris interpretatio cum ver-

verſione a Grutero iampridem edita mire conſpirat; adeoque eadem prorſus argumenta ſingula, quibus oſtendi Gruteri interpretationem a recenti ſimulque imperita manu profluxiſſe, perſpicue quoque demonſtrant Epigraphem hanc pluribus poſt Myrtales mortem ſeculis exaratam fuiſſe; neque a Graecae linguae perito, qui ſinceram Myrtales Epigraphem inſpexerat, Graecarumque vocum, & notarum vim intellexerat, adornatam fuiſſe? Certe, ſi Achilleus defunctae coniugis titulum, ſepulcri iura, violataeque legis poenas latinis etiam vocibus exarari voluiſſet, Latinam ipſam Epigraphem in aliqua ſarcophagi facie, aut ſubiecto adnexoque Marmore incidi curaſſet; idque facile nulloque negocio aſſequutus eſſet, ut violati ſepulcri poena, quae graecae iam expoſita fuerat, latine quoque exprimeretur. Itaque, quum Lapis neque Marmoreo titulo coniunctus, neque ipſi ſimilis ſit; ſed ab ipſius teſtatoris mente, Graecarumque vocum ſenſu longiſſime abhorreat, dubitari certe non poterit quin longe ſerius poſt Graecam Epigraphem ab imperito quodam Auctore exaratus, fictuſque fuerit. Quid vero quod quum in Graeca Epigraphe perſpicua ſolemnique formula legatur *μνήμης τελευταίας χάριν*, Latinus hic Interpres formulam ipſam duabus ſolum ſiglis expreſſit M. V quae, quamvis illud idem exprimere videantur, quod in Grutero legitur *Memoriae ultimae*, nullibi tamen occurrunt, alioque prorſus ſenſu in monimentis aliis adhibentur? Quid quod voces alias *Vxori ſuae*, inſolitis ſiglis iſtis VX. S expreſſit? Quid denique quod *ſeſtertii* Notae numerum nullum ſubiecit; ſed temere ſolum puncta quaedam hinc inde diſpoſita affinxit?

VII. Qui-

VII. Quicumque charaćteres iſtos, indicia, vel argumenta rite perſpexerit, nullus hic dubito quin Latinam hanc Inſcriptionem paucis ab hinc ſeculis effićtam eſſe concedat; nec plurimum fortaſſe ego fallar, ſi poſt Philelphi aetatem, atque poſt annum MDCXVI. quo ingens ille Gruteri Theſaurus in lucem editus eſt, ab erudito quodam Veterum Monimentorum cultore exaratam illam putaverim, qui quum *Piſis*, aut in *Vico Piſano* marmoreum Myrtales Sarcophagum iacere conſpexiſſet, e re futurum putavit, ſi Graeca Epigraphe ipſi inſculpta, Latine quoque alteri Lapidi inſcripta extaret; quumque Epigraphem illam in Gruteri Opere latine redditam eſſe conſpiceret, non aliam, quam Gruteri interpretationem Lapidi incidendam curavit. Deinde vero, quum felici Literarum fato, atque Eruditae Antiquitatis fauſtitate veterum eiuſmodi Monimentorum undique colligendorum cupiditas atque ardor Florentinos Cives inceſſiſſet, Eruditus quidam marmoreum, quidem Sarcophagum, materia atque elegantia inſignem, Florentiam, adverſo Arno flumine tranſvehendum curavit; Latinam vero Epigraphem, veluti rudiorem, aut inutilem, aut ſibi ſuſpećtam, contempſiſſet, ut haec proinde ſola mox Piſas migraverit, ibique diu delituerit. Etenim vix ac ne vix quidem fieri potuiſſe dixerim, ut aliunde, quam ex Gruteri fontibus, haec Inſcriptio profluxerit: perinde quaſi unius eiuſdemque Graecae Inſcriptionis interpretatio tum Piſis ab erudito quodam exarari, tum Antuerpiae a Grutero ſcribi potuerit. Quamvis enim id in brevi Inſcriptione Latine reddenda contingere fortaſſe poſſit, ut duo in diſſitis etiam locis iiſdem fere latinis vocibus eadem Graeca verba interpreten-

tentur ; id in longiori tamen accidere profecto vix poterit : ubi praeſertim uterque a Graecarum vocum ſenſu iiſdem in locis aberret, eoſdem prorſus errores admittat, in iiſdem prorſus vocibus explicandis haeſitet ; adeoque interpretationem tam interpretationi, quam ovum ovo, ſimilem proferat. Itaque, quum tanta inter utramque affinitas obſervetur, atque Gruteri interpretatio ex interpretatione Lapidi inſcripta derivata certe non fuerit, ut antea demonſtravimus ; nihil hic veriſimilius aſſeri profecto poterit, quam Epigraphem Lapidi noſtro inſcriptam ex Gruteri fontibus hauſtam fuiſſe.

VIII. Quamvis autem eiuſmodi Interpretationis concinnandae vel ex Grutero exſcribendae, ſimulque Lapidi inſcribendae cauſſam honeſtam eſſe potuiſſe iam dixerim, ut lectorum nempe graece imperitorum commodo & curioſitati conſuleretur ; fieri tamen potuiſſe conceſſerim, ut id ex artificis fraude doloque malo profluxerit. Etenim fando accepi 80. ab hinc annis nobilem eruditumque Virum Andream Menichinum maximam argenti vim in egregiis quibuſque pictis Tabulis, in Anaglyphis, in Graecis Latiniſque Nummis, in Marmoribus, in Cimeliis aliis undique colligendis erogaſſe, quorum plurima atque eximia certe ſupellex adhuc in Scortiorum Nepotum Aedibus obſervatur. Itaque quid prohibet quin Lapidea haec Tabula paucos ante annos ab aeruſcatore, vel impoſtore quodam conficta fuerit, ut erudito veterumque Monimentorum ſtudioſo imponeret, qui mox ipſam non mediocri fortaſſe pretio redemptam in paternos Hortos Piſas transferri curaverit ? Nec plurimum fortaſſe a vero ablu-

abludat, qui celebrem quoque marmoream Tabulam eadem arte, tempore, conſilioque ſcriptam ſuſpicetur, in qua *Felix Herculeo Equo publico* donatus *Aedilis II. Coſ. I. Pontifex Perpetuus Reipubl. Piſanae* nominatur. Etenim Noriſio quidem, qui in Cenotaphiis Piſanis eam protulit, ipſam conſulere non licuit: adeoque ingenue fatetur ſibi in illa explicanda aquam haerere; quod de Cl. quoque Gorio dicendum, qui ex Noriſii fide illam inter Piſana Marmora excudendam curavit; ſed de eius ſinceritate valde dubitans, lapidem ipſum paullo poſt ſcriptis crebris epiſtolis, inveſtigandum per amicos curavit, & me quoque ut illum ſedulo inquirerem, non ſemel rogavit. Sed haec alterius certe loci, vel temporis eſſe debent.

VA1
1513225

Digitized by Google